

NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
8
16 — G
12
ROMA



IN HYMNVM, AVE MARIS STELLA, MEDITATIONES,

Auctore

R.P. FRANCISCO COSTERO,
Doctore Theologo Societatis IESV.



Superiorum Permissu.

ROMAE, Apud Iacobum Bericchiam. 1590

MO. MO.
ILLVSTRISS. ET REVER.

SCIPIONI GONZAGAE

S. R. E. Presbytero Card. Ampliſſ.

Flaminius Priamus Lucenſis,
S. ac Felicitatem.

QVANTI ſint ab omnibus B. Virginis patrocinium, imploratioque facienda; nemo plane eſt, Illuſtriſſime Princeps, qui ignoret. Tot enim, tantaque ſunt huius Sanctiſſimę Virginis in homines beneficia; vt vix vnquam alicui ſupplicanti quippiã denegarit, nec immerito vna omnium voce, conſenſuq. Regina, ac Mater miſericordię vocitetur. Atq. (vt ſemel dicam) ea eſt, qua ſecundum Deum nihil pulchrius, nihil maius, nihil puriùs poteſt, diuinius ve reperiri. Ad hanc igitur (vt par erat) laudandam, inuocandamque,

precationes, atque hymni aptiſſimè inuenti ſunt: inter quos haud ſcio, an alius reperiatur, qui eius laudes, noſtraſque precationes magis exprimat quàm ille, cuius initium eſt: Aue Maris Stella. Quem hymnum cum admodũ R. P. Franciſcus Coſterus Societatis I E S V, pulcherrimis, ac maxime pijs meditationibus illuſtraſſet, omneſque cuperent, vt Romæ quoque typis mãdaretur; curaui, vt is tuo illuſtriſſimo nomine potiſſimum inſignitus prodiret in lucem & quidem non ingratum eum tibi fore duxi, quippe cui exiſtimem ob ſummam in B. Virginem pietatem, ac religionem; eiuſdem (vt vocant) de Populo, titulum contigiſſe. Quibus meditationibus & ſacris hiſce temporibus, & tuæ ſummæ pietati maxime congruis, rogo te, Card. Illuſtriſſime, vt, dũ alia plura, ac fortaſſe maiora eiuſdẽ Auctoris typis dantur, læta fronte, tranquilloq; animo perfruare. Vale.

BEATAE VIRGINI Dei Matri.

O Cæca in nebula lampas, sidusque salubre
Oceano, fax noctis, aue, freta turgida placa.
Freta Deo, & clemẽs maria indignantia leni;
Iactatisque diu illuni sub nocte age Stella
Exorere, intremus fugitantẽ vt denique portũ.
Nata Deo, atq. enixa Deum, oĩ imperuia culpa
Agna, parens Agni (noxam qui diluit Orbis,
Quiq; suũ proprio rubefecit sanguine vellus;)
Virgo es, iuge cui decus inculpata perennat
Virginitas: sic fœta olim sine semine tellus,
Nil gremiore subacta, vel vllo saucia tactu
Educat eximium, decus horto nobile, florem.
O iterum salue reserati Ianua cęli,
Ianua, circumuẽta dolis quam clauserat Eua.
Accipiens aure illud Aue, vocemque salutis,
Ales quam Gabriel Paranymphus fuderat ore;
Concipiensque vtero peperisti germen Oliuæ.
Vnde Deũq. hominesq. inter Pax aurea creuit,
Hęc modò penè obijt germen Pacalis Oliuæ
Succidit Bellona, fames & pestis adedit.
Interea, Pax illa subinde repullulat. atqui
Vix enata solet denasci, ita pestifer aer
Pubentem vrit, vel adultam bella reuellunt.
Ergo age Pacis amans, Oleã pacemq. redona,

Aue maris stella

Dei mater alma atq. semper virgo.

Felix cęli porta.

Sumens illud aue, Gabrielis ore:

Funda nos in pace.

Quã belli attriuit rabies: da Nympha, secũdis
Auspicijs fundata omni Pax floreat æuo.

Mutãs. &c. *Sic Eua inuertes nomen, quodque intulit Eua,*
Tollet Aue; hoc ignominiam lapsumq. refellet.
Namque antiquai deles vestigia culpę.

Solue. &c. *Corporis en nos carcer habet, scelerumq. catenis*
Deprimimur; tu vise inopes, & vincla reorum
Dissoluas, quæ quisq. sibi amẽs crimina nectit.

Profer. &c. *Nos etenim cęci proprio sæpe arma dolori*
Cudimus, & ratio spissa sub nocte laborat.
At cæcis de luce tua fer, splendida, lumen;

Mala. &c. *Et mala, quæ miseros cingũt, stantq. agmine circùm,*
Pelle, potens voti, formidandæq. repulsæ

Bona. *Nescia, posce malis cumulũ fontemq; bonorũ.*

Mõstra. *Te nostramq; Deiq; omni in discrimine, matrẽ*

Sumat. qui. &c. *Esse doce, nostrisq; tuisq; rogatibus aurem*
Prębeat, & geminata benignius audiat ora

Tulit. *Ille, cùi mentem tetigit miseratio nostri,*
Dignatusq; tuo est fieri de sanguine, Natus.

Virgo. *O præstans virgo, tot lecta è millibus vna,*


Inter. nos. &c. *Mitisq; ante alias, nostris nos exue culpis,*
Nosq; iræ vacuos, mites, & pectore blando

Mites. *Esse iube, & castos, ne nos venus igne venenet.*
O intacta viro genitrix, nil labis auitæ

Vitam. *Teve, vterive tui infecit, Virgo innuba, florem.*
Pręside te, puram exigimus sine crimine vitã,
Teq; cupidinibus lati Duce bella mouemus.
Nos porrò ad superos traduc, Dea, calle secũdo.
Mors iter est aptu in insidijs: tum dirus oberrat

Cuncta Satan, spolijsq; inhiat, prędaq; parat se. Iter.
At tu, tutum iter hoc pręsta, vt potiamur Iesu Vt vid.
Alloquio, aspectuq; illoq; è fonte perennem Sēper.
Lętitię sitiamus & exantlemus amorem. Sit laus.
Interea Genitor, Filiq;, & Spiritus alme, Sūmo.
Trine atq; vne Deus, tua laus, sine legibus aui Spiritui.
Aequalis tribus vnus honos, & gloria viuet. Tribus.

Laus Deo, Virginique Matri.



Aue Maris Stella, &c.

MEDITATIONES.



OC carmen incerti quidem auctoris est; refert tamen dulcedinem melliflui Bernardi, cui à nonnullis tribuitur. Speciem habet metri trochaici trimetri, propter numerum versuum & syllabarum: suis tamen pedibus non omnino cõstat. siquidem diuinus Spiritus non tam de arte carminis solicitus est, quàm de ardore canentis. Septem sunt in eo Hymno versus, quorum primus, qui & salutationem continet, & quatuor Virginis epitheta, à quinque sequentibus quasi latiùs explicatur. Postremus, more Ecclesię, laudem omnem refert in Deum.

VERSVS I.

Aue Maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper virgo,
Felix cæli porta.

AVE.

AVe Maris stella. Nobilissima Regina, potentissimaque Domina, in tanta, qua fulget, cæli gloria, nihil de sua humilitate remisit. non recusat à vilibus homuncionibus salutationem: sed postquam prima illa Angelica salutatio summam ei attulit felicitatem, grata illi semper fuit omnis pia salutatio. Luc. 1.

STELLA.

Aue igitur Domina nostra MARIA, clarissima maris stella: hoc enim nomen illud tuum sacrosanctum significare dicitur: *Nec sanè incongruè: quia sicut sine sui corruptione sidus emittit radium, sic absque tui læsione Virgo peperisti filium: nec sideri radius suã minuit claritatem: nec tibi Virgini filius tuam integritatem. Es igitur nobilis illa stella ex Iacob orta, cuius radius vniuersum orbem illuminat; cuius splendor & præfulget in supernis, & inferos penetrat, terras etiã perlustrans, & calefaciens magis mentes quàm corpora fouet virtutes, excoquit vitia.* Stella es, quæ lucem tuam à sole iustitiæ accepisti, cuius lucis claritate filium vnigenitum summi Dei in ter-

B. Bern. ser. 2. super Missus est. Nu. 24.

in terras allectasti; eiusque fulgore etiam multo ampliùs illustrata, tali splẽdore modò micas in cęlis, vt vniuersa illa vastissima que cęlestis regio, non parum lucis & ornamenti, tua pulchritudine & lumine, se accepisse, summa cum gratulatione fateatur.

MARIS. Sed cùm vniuersi Orbis sis splendor & claritas; es tamẽ *vel maximè præclara, & eximia stella super hoc mare magnum & spatiosum necessariò subleuata, micans meritis, illustrans exemplis.* Mundus siquidẽ iste noster, instar ęstuosi maris, nos miseros, tanquam nautas nauigãtesque, variis tempestatibus periculisque infestat. Sicut enim in procelloso mari ab elementis omnibus grauia videntur afferri incommoda: ab aere quidẽ, qui ventis commouet fluctus: à terra verò, quæ naues vel scopulis confringit, vel salebris atterit, vel vadis retinet: ab igne autem, qui in naues forte coniectus, tenacissimè adhærescit, nullaque aquarũ vi restingui potest: ab aqua denique, quæ & vndis nunc ad cælos attollit, nunc ad ima deprimit, & salsedine nauseam vomitumque mouet, & monstris, belluisque marinis terrorem affert, nauesque euertit, & vastitate atque altitudine sua anxios, pauidos, & solicitos reddit. Ita hic mundus in maligno totus positus nos vndique inua-

B Bern. ser. 2. super. Missus est

D. Aug. in Psal. 65.

dit, de-

dit,deprimit,molestat,exagitat. dæmones huius aeris principes tentationibus nos suis quasi ventis & procellis variè concitãt, passionum fluctus commouent,libidinis ardorem accendunt, mundi sectatores velut vndas agunt;(siquidem aquæ multæ, populi multi)& nunc eorum fauore,hono ribus,laudibus, beneficiis in cælos vsque euehimur; nunc eorundem inuidia, contumeliis, detractionibus, iniuriis, ad ima deturbamur. Monstra marina flagitiosi sunt homines, qui nos exemplis, blanditiis, minis, in peccata pertrahunt. Terra salebrosa & scopuli sunt diuitiæ, quibus mollis animus dissoluitur & firmiter adhærescit. salsum est quidquid mundus propinat; sitim acuit, non exstinguit, satietatem non adfert, sed nauseam potius piis animis parit. Vastitas denique & profunditas est peccatum, in quod miser homo delapsus,nullis viribus humanis educi extrahique potest In hoc igitur mari esto nobis stella,prębeto lumen,consolare,claritate discute tenebras, & multo amplius nobis præsta, quam polaris illa stella nautis,dux viæ.illa siquidè & nocte solum con spicitur; & quod iuxta polum quasi immo ta consistere videatur,locorũ peritos naucleros, qua in regione versentur,edocet,

Venti.

Apocal. 17.

Monstra marina.

Scopuli.

& sc-

& ſerenitatis eſt indicium. Tu verò in tenebris nocturnis, dæmonisq; tenebrionis, & tenebricosi nebulonis tentationibus, quæ menti tenebras nebulasque offundunt, lumen tuæ claritatis & consolationis præbe; dispelle nebulas, illuſtra mentem, oculos aperi, vt veritatem intueamur: in luce autem gratiæ, dum consolatio mentem illuminat, ne tum quidem nos deſere: lumen illud nobis conſerua & auge, atque per illud nos in portũ ſalutis æternæ traducito.

Sancti ſtellæ. Agnoſcimus quidem Chriſtum eſſe veriſsimam illam ſtellam ſplendidam & matutinam, quam ſe promiſit daturum his qui vicerint, & cuſtodierint vſque in finem opera eius. Ego, inquit, ſum radix & genus Dauid, ſtella ſplẽdida & matutina. Sed ſi docti, & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates: ſi ſeptem ſtellæ in manu Chriſti ſeptẽ ſunt angeli Eccleſiarũ, ſi Apoſtolos adhuc mortali conditione præditos Chriſtus iſto honore dignatus eſt: Vos eſtis lux mundi, ſi item illi ſtellarum nomen obtinuerunt qui deciderunt de cælo: (nam & tertia pars ſtellarum obſcurata ſcribitur, & ſtella in terram cecidit) ſi denique ſancti omnes in cælis ſic gloria diſtinguuntur, ſicut ſtella differt à ſtella in claritate: ſine Chriſti vtique

Apoc. 2. *Apoc. 22* *Dan. 12.* *Apoc. 1.* *Mat. 5.* *Apoc. 8.* *Apoc. 9.* *1. Cor. 15*

iniuria dicitur MARIA ſtella maris, quæ geſtat in capite coronam ſtellarum duodecim. Chriſtus lux eſt mundi, illuminans omnem hominem venientem in hunc mundũ dono fidei, oculos aperiens, diuina gratia animas illuſtrans; denique diuinitate ſua cælos omnes gloria replens. (ſine cuius numine, nihil eſt in lumine, nihil eſt innoxiũ.) MARIA eſt ſtella, Chriſti luce fulgens, pulchra vt luna, quæ à ſole lumen mutuatur; ſed electa vt ſol, quia inter creaturas omnes ſub Chriſto clarior omni ſole, illuſtrior omni lumine: ſtella matutina, quæ Chriſtum ſolem adducit; ſtella cæli, quæ micat de cælis, cæleſtemque radijs ſuis infundit conſolationem: ſtella maris, quæ vitæ exemplis præluxit, præſentia ſua dæmones fugat, animum componit, motus animi turbidos ſedat, menti affert ſerenitatem, & ſinceram conſolationem, certiſſimam viam vitæ æternæ, ſecuriſſimamque docet; & demum periculis ereptos, ad portum perducit patriæ noſtræ cæleſtis. Aue igitur maris ſtella, tui recordatione gaudemus, tuo aſpectu exhilaramur, tua præſentia ad ſpem erigimur. Tu nobis ſemper affulgeas, filijque tui radijs animos noſtros conſoleris.

Apoc. 12
Ioan. 1. 8
Chriſtus ſtella.
Ephe. 2.
Maria ſtella.
Cant. 6.

Dei mater alma. Secundus honoris titu-lus,

DEI

lus, quod mater sit Dei, maximus equidē, cuius dignitatem nulla mens humana capere potest; quis enim intelligat Deum infinitæ maiestatis humanam, terrenamque naturam assumere posse; illumque qui ab æterno est Filius Dei Patris, in tempore fieri filium hominis matris? Quis comprehendat modum quo in virginis vtero Deus Pater, cooperante Spiritu sancto, humanam naturā ita cum diuina Filii sui natura coniunxit, vt non duæ personæ essent Deus & homo; sed vnius personæ filius hominis, & filius Dei?

MATER. Quis igitur MARIAE capiat maiestatem; quæ eiusdem omnino personæ est mater, cuius Deus ipse est Pater? meritò exaltata est supra omnes Angelorum choros Mater Dei MARIA, cuius dignitas omnem intelligentiæ vim excedit. Quid enim est matrem esse Dei? mater causa est filii; mater superior est filio; matri debetur honor à filio; matri tenetur morem gerere filius; denique matris pars & caro est filius. Quanta ergo coniunctio Dei & virginis, quanta obligatio, quanta societas? Meritò hoc titulo & prærogatiua lætaris, MARIA, quæ super omnem creaturam euecta quam proximè resides iuxta creatorē: sola tu creaturis omnibus hac dignitate

nobi-

nobilior, admirabilior, illuſtrior.

Alma, id eſt, ſancta, pulchra, alens, hæc enim tria iſto nomine, quod ab alendo deducitur, ſignificantur. Aluiſti filium Dei vtero tuo concluſum, lactaſti infantulum, nutriuiſti puerum, educaſti adoleſcentem; optima nutrix hominis Dei; pauiſti illum qui paſcit omnes, ſingulare priuilegium tuum nutrire, & educare Deum. A L-M A.

Sãcta igitur es Virgo Dei mater ab omni næuo puriſſima, ab omni peccato alieniſſima, quę mundiſſimum Deum non modò carne tua veſtiuiſti; ſed ſanguine quoq. & alimento tuo in vtero nutriuiſti, lacteq. tuo pauiſti. Procul fuit à carne tua omne vitium, & à mente tua omne peccatum. Alma, ſanctiſſima, qua nulla creatura purior. Omnes homines peccatum originale contraxerunt, & nemo mundus à ſorde, nec infans cuius eſt vnius diei vita ſuper terram. nulla tu vnquam macula, aut nęuo, vel leuiter aſperſa fuiſti, Angelis ipſis purior. Sancta. *Iob.* 14.

Pulchra, omni virtutũ genere ornata, quæ ſola meruiſti dignitatem matris Dei, gloriam Reginæ cælorum, auctoritatem Patronę generis humani, poteſtatem conterendi caput ſerpentis. Quę tanta cùm ſis; mirum videri non debet, ſi tantum ab hominibus tibi deferri velit Chriſtus honorem, Pulchra. *Gen.* 3

norem, quantum nulli alteri creaturæ decet haberi. Quin potiùs mirandum, si vel minimum quid ab honore illo tibi detractum vellet, quo te Ecclesia per orbem amplissimè decorat. Qui enim te matrem super omnes creaturas euexit, qui te sibi proximam in gloria collocauit, qui tibi creaturas vniuersas subiecit, qui tibi sedem tam sublimi in loco constituit; vt non nisi ad Deum ipsum possis conscendere, is certè omnem tibi exoptat & gratulatur honorem, omnem cultum, omnem laudem, omne obsequium, omnem amplitudinis & dignitatis gradum, præter eum qui vni rerum omnium creatori debetur. Te ergo veneramur, Dei Mater Alma, te colimus, tibi omnia nostra obsequia studiaque supplices offerimus. Esto nobis mater, esto nobis Alma; vt mater filiorum curam gere; vt Alma, benignam, suauem, nutricem te nobis exhibe. Nobis præter laudes, honorem, & amorem nihil est quod donemus. Tu exiguum hoc munúsculum hilarè suscipe, & vicissim pro tua solita benignitate nobis presta beneuolentiam, studium, fauorem.

VIRGO. *Esaiæ 7.* *Atque semper Virgo.* Tertius MARIAE titulus, quod semper virgo, & quod talis virgo: vtrumque obstupescens admiratur natura

tura. Virgo est,non quomodo alię;sed vir go singularis, quę summum virginitatis gradum atque eminentiam cumulatissimè, perfectissimeque consecuta est. Virgo corpore, virgo sermone, virgo cogitatione, virgo mente, neque corpus vllo vnquam impuro motu attactum fuit;neque lingua nisi pudicum, & castum quicquam protulit;neque phantasiæ aliquid inhonesti, ne in somnis quidem, sese obiecit,neq. menti vel leuissima fœditatis species vnquam occurrit. Olim virginis nomine id omne quod incorruptum erat,decorabatur,vt Cicero Philosophiam appellarit castam, verecundam,incorruptam virginem: & ciuitates quę expugnatę nunquam fuerunt, neque ab alio domino quasi violatę, virginitatis nomine vernaculá nostra lingua gloriantur; tametsi oppugnatę, & foris ab hostibus concussæ, atque intus ab improbis ciuibus ad proditionem vel deditionẽ solicitatę.Virgo autem MARIA, munitissima turris Dauidica, nobilis domus aurea,sanctaque ciuitas Dei, neque expugnata est,neque oppugnata, neque vlla dęmonis fraude solicitata.multa quidem, cũ inter homines ageret, in eius perniciem machinabantur dęmonum acies,multaque de eius euersione,interituque inter se con

Luc 1.

Cant. 4.

ferebant, sed neque foris propius accedere, neque cogitationi aliquid suggerere iis licebat. Muniebat quippe hanc diuinam ciuitatem Dei præsentia animæque diuina gratia illustratæ splendor, qui procul ab ea dęmones tenebrarum principes, sicut noctuas, clarissimus solis radius arcebat: intus verò nihil erat in sanctissimo hoc corpore vel anima, quo tanquam sibi familiari aut noto instrumenti loco hostis vteretur. nulla inerat inordinata animi affectio; nihil insolens, nihil incompositum: summa tranquillitate Deus rationi & voluntati, ratio autem cæteris partibus imperabat.

SEMPER. *Semper uirgo*: nimirum 1. ante partum, in partu, & post partum. Mater, & virgo, virgo lactans vbere de cęlis pleno, virgo fecũda sine viri opera, ex Deo grauida, grauida Deo. 2. semper, sicut in terra virginitatis flore, omnibusque suis numeris ornata, fuit: ita nunc in cælo iisdem gloriosa fulget. Comites castitatis in hac mortali vita erãt, humilitas, verecundia, modestia, grauitas, omnis honestas. Quarum virtutum perfectiones in cælis cum Virgine Matre perseuerant. humilis est, detestans superbiam; verecunda, non ferens impuritatem; modesta, non tolerans insolentiam; grauis, ab

omni

omni leuitate aliena; honesta, abominans omnẽ fœditatem. Tu ergo si virginis optas præsentiã, eiusq. desideras patrocinio fauoreq. iuuari, ab illis abstineas quæ castissimis eius oculis displicere, & ab eius sanctissimis moribus aliena esse cognoris. Esto pudicus, humilis, modestus, vt te sereno vultu aspiciens, tali filio & cliente gaudeat.


Felix cęli porta. Eua nobis paradisi portã occlusit; inferni portã aperuit. Ante paradisi ianuam Cherubin collocauit gladio flammeo & versatili prohibentẽ reditum. Cherubinorum ordini tribuitur sciẽtia; & Cherub interpretantur Magistrũ: flamma, Dei irã significat: gladius, punitionem: versatilis, afflictionũ in omni vitæ genere varietatem. Hæc omnia pro ingressu in paradisum, peccato Euæ toti posteritati propagata sunt; scientia, notitiaque Dei ad ianuam paradisi relicta est; nos comitatur ignorantia; minatur Deus per Angelum exitium atque internecionem. Euę inobedientiã quicunque imitãtur, rectà in inferna ruunt. Infelix portã, si ad hoc nascamur vt pereamus. Improba mater, quæ parit, vt perimat. si enim solum nascamur ex Eua, perimus, nisi renascamur in Christo, opera auxilioque MARIAE Virginis, quæ nobis portas inferni occlusit, portamque cælestis Patriæ reserauit. Gen. 3.

PORTA christus porta. Ioan. 12. Christus est verissima porta cæli. 1. quia primus meritò passionis suæ per clauem Dauid, quæ est crux eius cælum hominibus aperuit. 2. quia nemo intrare potest in vitam ęternam, nisi per Christum, hoc est, nisi per fidem eius, per Sacraměta eius, per gratiam eius, per merita eius, per Spiritum eius, per Ecclesiã, quæ est corpus eius. Frustra igitur laborant, qui salutem quærunt, & Christiani esse nolunt, qui Sacramenta recusant; qui ab Ecclesia Catholica Romana sunt alieni, qui peccatis mortalibus gratiam Christi repudiant, qui bonis operibus sibi merita Christi non conciliant. Ego sum ostium, ait Dominus, per quod ingrediendum est; non enim in cælum, nisi per hanc ianuam intratur. Ioan. 10

Apostoli portæ. Apoc. 1. Cęterum Apostoli duodęcim etiam appellantur in scripturis portæ cęlestis Jerusalem; non alienę à Christo, sed quia ad veram illam portam cæli quæ est Christus; rectissimè ducunt, nam 1. fidem illi nobis Christi Domini prædicarunt primi; per quam fidem solam, & non aliam, ad Christum intratur. 2. vitę exempla nobis præbuerunt, vt iisdem moribus, & viuendi ratione, quasi per portam ingrediamur in cælum. 3. per merita sua, & preces tãquam per portas orationes nostras, & merita ad

Christum introducunt, & offerunt, nobisq. referunt Dei misericordiam. Nemo igitur in cælos admittetur, nisi per has portas, Apostolos dico Christi, hoc est, nisi eam profiteatur fidem, quam Apostoli docuerunt; nisi fidem & religionem suam ad Apostolos ipsos nunquam interrupta successione retulerit, nisi continuò eiusmodi religionis quasi decursu cum Apostolis ipsis communionem habuerit: nisi per Apostolicos viros, Apostolorum legitimos successores, in Ecclesiam admissus fuerit.

Sanctissima Christi mater etiam alijs de causis est felix cęli porta. 1. quia per eam, veluti per portā, Deus ipse de cælis in hunc Orbem nostrum exiuit. 2. quia nemo in cælum intrabit, quem non ipsa admiserit, qui in eius communione societateq. nō fuerit: quem ipsa in filium suum, fratremque Christi non receperit. 3. quia per eā preces nostræ meritaq. in cælum admittuntur, & dona de cælis demittuntur, cōferunturq. Media est inter Solem & Lunam; inter caput Christum, & corpus Ecclesiam; inter fontem & mare. Sicut igitur, qui de domorum tectis delabentem excipiunt aquam, ad canales admouent vasa, vt copiosam purāq. recipiant, priusquam in terram spargatur: sic tibi ad hunc canalem properandū erit, Maria porta.



vt abundantem diuinæ gratiæ copiam haurias. Et alii quidem sancti multa tibi de cęlis afferre dona gratiarum possunt: At Mater Dei clarissimè effundit, plenaque manu tribuit, non modò vt ancilla Domini, & filia Dei, sed vt mater Dei, & cælorum Regina; Christi testimonio, angusta est porta quæ ducit ad vitam: nā qui per MARIAM admitti velit in cælū, humilis sit oportet; arcto corpore & animo, nullo onere grauatus; animus sit à mundanis curis liber; nihil ei adhæreſcat sordium ex peccatis; nulla insit diuitiarum, voluptatis, honorum cupiditas: corpus crapula non intumescat: recipit enim hæc porta MARIA sui similes; non altiores, non obesiores.

Matt. 7.

CÆLI *Cæli porta.* Exclusi eramus paradiso terrestri: MARIA non ad terram nos ducit; verùm ad cælum. Cælestia igitur per illam petenda sunt dona. Et sicut mendici non recedunt de portis diuitum, quoad eleemosynam diuite liberalique viro dignam acceperint: ita tu continuis precibus hanc portam cæli pulsabis; neque à pulsando abstinebis, donec munus cæleste donetur. mūdanos honores, opes, & voluptates hic frustrà expectabis; quia à Rege cæli per cæli portam, non nisi cælestia tribuuntur. Cælestia porrò sunt non illa solùm quæ corpo-

re ca-

re carent, sed illa etiam omnia, quibus tanquam gradibus in cælos ascendimus honores igitur, pecuniæ, vitæque necessaria, si ad Dei gloriam animarumque salutem postulantur, cælestia sunt, & per MARIAM cœli portam transmittuntur.

Felix porta. Lucifer per infelicem portam de cælis exiuit, atque ad tartara deturbatus est; Christus per felicem hanc portam, copiam nobis omnium gratiarũ attulit. Verè felix est porta: *1*. quia non defert iram de cælis, sed misericordiam: nec infert querelas nostras, peccataque in Dei conspectum; sed preces, meritaque quę etiam purgatiora, & tanquam in porta à luto sordibusque (vt viatorum mos est) absterſa, filio offert. Est enim non irarum aut vindictæ mater, sed mater gratiæ, mater misericordiæ. *2*. quia facilis est; citò placatur; citò ignoscit; exiguis precibus pulsata aperitur. Ne tu igitur de misericordia desperes, cui tam facilè aperitur Felix cæli porta. Non exigit à re multa, non graue tributum, non portarum vectigal petit: hoc vnũ vult, vt ad suam te humilitatem angustiasque accommodes. FELIX

His igitur honorũ titulis à filio tuo ornata, dirige nos, vt stella maris; curã nostri habe, vt Dei mater alma, castitatẽ nostram

tuere, virtutesque conserua & auge, vt castissima semper virgo, in cæli gloria nos perduc, & transmitte, vt felix cæli porta.

VERSVS II.

Sumens illud Aue,
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans nomen Euæ.

SVmens illud Aue. Hic 2. versus nonnihil explicare videtur primã primi carminis vocem, quæ est Aue. Pro omnibus in nos collatis beneficiis nihil in nobis est, ò Domina nostra, quod tibi rependamus; quia nihil maiestate tua dignum habet mũdus: sicut enim vocula illa, Aue, est breuis res ac parui momenti; ita perexiguum est quicquid donamus. nihilominus tamen hanc salutationem non ex nobis offerimus, qui gloriæ dignitatisque tuæ magnitudinem veriti, non audemus impuro ore, incondita nostra tibi verba proferre; sed ab Angelis edocti, illis te consalutamus verbis, quæ ad te ab vniuersis fidelibus salutandã, colendam, venerandam, Deus ipse nobis cælitus præscripsit. Verè magna es Domina, cuius honos tantæ Deo curæ fuit, vt ne quis in titulis errorem committeret, ipsemet

ipſemet rationem & compellandi, & conueniendi,& inuocandi te præſcriptis verbis docuerit; teque honorificentiſſimè ſalutari ab omnibus iuſſerit.

Hanc ſingularem, diuinamque ſalutationem tu quæſo gratè ſume, & benignè admitte; quæcunque enim aliæ ſalutationes ab hominibus tibi offeruntur, huic vni innituntur; & ex hac vna vim ſuam habent, ſuccumque & dulcedinem trahunt. Hac continentur 1. præſtantiſſimę virtutes tuę. 2. dignitas matris Dei. 3. immenſa gloria Reginæ cælorum. 1. ob gratię plenitudinem, dulcedo noſtra es 2. quia Dominus eſt tecum, vita noſtra es. 3. quia benedicta inter mulieres, certiſſima ſpes noſtra es. dulcis es virgo, quia gratia plena; pia es mater, quia Dominus tecũ; clemens Regina, quia ſuper omnes benedicta & exaltata. SVMENS. ILLVD AVE.

Hac ſalutatione quia te fideles cultores tui delectari norunt, frequentius vtuntur. 1. infantulos ſuos hæc quaſi prima docent rudimenta, & incunabula pietatis, vt à teneris vnguiculis te amare, te colere, te corde geſtare, te ore loqui, te moribus referre diſcant. 2. orationi Dominicæ hanc quoq. ſalutationem ſubiungere ſolent, vt quæ à Deo poſtulauerunt, tibi premouenda, curandaque, tanquã ſingulari Patronæ commendent.

mendent. 3. sacras ad populum conciones ab hac eadem ordiuntur salutatione; vt per admirabilẽ in vtero tuo perfectamque Filii Dei incarnationem, tu & dicenti efficacitatem verborum, spiritusque vehementiam, & auditoribus aures salutariter audiendi impetrare digneris. 4. in ea precatione, quæ à piis maioribus instituta, *Ro sarium* iam recepto nomine dicitur, sępius repetita hac salutatione tibi castissimæ virgini, quasi sertum pulcherrimis contextum rosis, diuersisq. mysteriorum floribus variegatum, mireq. exornatum cõficiunt; non sine vtili ad laudem tuam, nostrumq. spirituale emolumentum, significatione. Nam 1. post orationem Dominicã decies repetitur hæc salutatio; tum quia diuina gratia perfectissime Decalogi præcepta obseruasti; tum vt eadem perficiendi nobis à filio tuo vires impetres, & gratiam. 2. hic denarius iteratur quinquies in passionis Christi, sacrorumque vulnerum eius memoriam: quorum recordatio nunquam ex
Cant. 1. animo tuo discessit, iuxta illud: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur. Vt eorundem vulnerum, passionisque merita nobis per te ad omnia mala depellenda, bonaq. obtinẽda subueniant, nosque Christo passo confor-

mes reddant, sicut tu uitam tuam eius passioni consimilem duxisti. 3. Quinquies decem quibus rosaceum istud sertum cõstat, perficiunt quinquaginta, illum videlicet numerum, qui à iubileo, hoc est, omnium peccatorum remissione solennis est, vt tu, quæ omni prorsus vacua semper fuisti peccato, nobis filium tuum iustè peccatis nostris iratum concilies: 4. Rosarium istud tertiò iterant, vt absoluatur numerus *150.* ad numerum Psalmorum Dauidicorum, vt tu, quæ vitam tuam cùm cęterarum scripturarum, tum præsertim Psalterii contemplatione occupasti, mentibus nostris lumẽ cælẽste, desideriumque diuinarum rerum per filium tuum infundas. 5. sunt, qui ad numerum annorum vitæ tuæ, quem aiũt fuisse *63.* toties etiam his Angelicis diuinisq. verbis te consalutent: vt tu, cuius vitæ totius momenta suis virtutum ornamentis abundarunt, diesque pleni fuerunt operibus sanctis, sanctitatem nobis impetres vitæ, morumque, ne multis annis onerati, dies inueniamus inanes, dicamurque pueri centum annorum, quibus per Prophetam Isaiam maledicit Dominus. *Isaia.65*

Gabrielis ore. Initium damnationis nostrę fuit ab alloquio salutationeq. serpẽtis, qui Euã matrem nostram iuxta vetitam arborem

GABRIELIS.

Genes. 3. borem scientiæ boni & mali oberrantem; & fortassis de diuino præcepto cogitātem aggressus, alloquendi occasionē quæsiuit; curiosulam instigauit; & sermone venenū instillauit. serpēs quidem animal mutum, & rationis expers, neq. loqui potuit, neq; cum muliere ratiocinari; sed dęmon eius ore, velut instrumento, ad loquendum abutebatur, linguamque mouebat; & verba ipsemet formabat: cumque diabolus post lapsum suum ex nobilissimo Angelo in vilissimum dæmonem degenerasset; non aliud assumpsit instrumentum, quam abiectissimam creaturam: quia de re vilissima acturo, nempe de peccato, non nisi vilissimum instrumentum conueniebat. Initium quoque salutis nostræ ab Angeli cum Virgine sermone sumptum fuit. Virgo meditatione promissi Messiæ occupata, in Dei amorem tota exardescens, sese diuino arbitrio humillimè submittebat, cum ingressus Angelus illud Aue prompsit, Deique nomine Virginem salutauit: multa tunc illa cogitabat, non elatè, sed demisse de se sentiens; contraria prorsus atque Eua mente pertractans, Angelum istum Gabrielem non ex inferioribus Ordinibus, sed ex primis Principibus fuisse, cum ex nomine ipso, quod denotat Deum potentem; tum ex cau-

Bernar. Homilia 3 super Missus.

Origenes lib. de princi- piis c. 8. Hier. in c. 8. Dan.

ex causa pro qua mittebatur, & personis missionis istius, constare potest. Nam summus *Deus* ad supremam dignissimamque creaturarum, in summo negotio, hunc nuncium destinauit.

Et in tanto negotio Angelus ministri fungebatur vice. Tota Trinitas verba ad eum ferè modum proloquebatur, quo in sacramentis Ecclesiæ loquitur per os sacerdotis, verba nō inania, sed efficacia: quæ simul atque proferuntur, efficiunt: siquidem Dei dicere, etiam facere est. igitur Spiritus sanctus gratiarum dator, Gabrielis ore, virginem salutans gratia plenam: simul etiam vberrimam largiebatur gratiam. Filius verò per os Angeli dicens, Dominus tecum; aduentui suo dignum habitaculum præparabat. Pater denique h. c voce, Benedicta tu in mulieribus: eam præficiebat orbi vniuerso Reginam & Dominam. ORE

Hāc salutationem tanti auctoris ad Dominam suam, Angelus summa veneratione de cælis detulit; vt etiā tu non leuiter, sed cum metu & tremore *Dominam* diuinis his verbis consalutes. si enim ex instituto Ecclesię ad sacrorum Euangeliorum lectionem accensi cerei præferuntur: si Euangelium in membrana descriptum, collo dependens, ad suam tutelam Christiani (vt *Petr. Damianus ser. 1. de nat. virg.*

auctor

Hom 43. operis im perf. in Matth. auctor est B. Chrysostomus) olim gestare solebant: si sacræ scripturę verbis honor à nobis exhibetur: qua reuerentia erit tibi salutanda tam sanctis Dei verbis tanta Domina, Deique mater; quę verba non nisi angelico ore ab ipso Deo sunt Virgini dicta.

Tu hic Dei matrem precabere, vt ad se salutandam, rogandamque os tuum purget, animumque Spiritus sancti gratia illustret, atque ab ore tuo salutationem suscipiat. sicut enim Angelica salutatio accepta fuit Virgini, quia à Deo per os Angeli proferebatur; ita non poterit illi non esse acceptissima omnis salutatio, & oratio, quam ad eam per os tuum fundet in te inhabitans Spiritus sanctus.

Cæterum respondebit Domina, vt obtineas fauorem, illud esse cumprimis tibi cauendum, ne ad imitationem Euę prębeas aurem salutationi suggestionique serpentis; qui verbis suis in animum tuum illapsus, efficiat te filium diaboli, atque gehennę: sed vt imitatus se Dei matrem, promptus attendas ad Angelica verba, & inspirationes diuinas; internaque pia admonitione percepta,

ſeriò cum ipſa cogites, quę ſit iſta ſalutatio.

Funda nos in pace. Rogamus te Dominam, vt pacem nobis largiaris veram, ſolidam, bono nitentem fundamento, ſtabilem, perpetuam, quę nullius vi aut impulſu cõcutiatur. Hanc à te petimus: 1. quia Angelus pacis diuina ſalutatione tibi pacem attulit: Dominus tecum, ait. &; Ne timeas MARIA: inueniſti gratiam apud Deum. 2. quia Chriſtus ex te naſcens, mundo pacem per Angelos nunciari iuſſit, cùm dicerent: In terra pax hominibus bonæ voluntatis. 3. quia Filius tuus iamiam ad paſsionem abiturus, hunc ſuorum dolorum, ſanguinis, mortisque fructum fore prædixit, vt pacem habeamus. Pacem, inquit, relinquo vobis, pacem meam do vobis; non quomodo mundus dat, ego do vobis: & à paſſione, morteque rediuiuus, prima voce, qua diſcipulos alloquebatur, precatus eſt pacem. Chriſti enim eſt dare eam, quam mundus dare non poteſt, pacē: & qui Chriſtum Salomonem pacificum, Principem pacis, verum Melchiſedech Regem Salem, hoc eſt, pacis, vicinius attingunt; illi ſunt Angeli, & nuntii pacis. Dæmon s eſt, per ſe, mi-

IN PACE.

Luc. 1.

Luc. 2.

Ioan. 14

Ioan. 21

se, ministrosque suos pacem turbare, bella ciere, animos commouere. *Tu igitur Domina, Regis pacifici mater, funda nos in pace:* quia pax est fundamentum vitæ spiritualis: ad cuius vitæ perfectionem vt perueniamus, Christus Deus ex te matre factus est homo. Funda igitur nos in pace, vt Christo vniti, qui est solida pax nostra, & vnicum fundamentum religionis Christianæ, in vera pace firmiter consistamus.

FVNDA NOS. Sunt nonnulli qui pacem sibi videntur habere, & non habent; quibus dicitur, Pax, pax, & non est pax: quia non est pax impiis, dicit Dominus. Illi nimirum qui pacem habent in diuitiis suis; qui peccatis onusti, & quasi grauissimo lethargo sopiti, non audiunt conscientiæ oppressæ querelas & gemitus, isti pacem habent simulatam; nó veram: qualis inter Iudam fuit & sanctos Apostolos, qui in vltima cœna dominica candem Eucharistiam, panemque cælesté cum cæteris manducans, eiusdem se animi & voluntatis esse simulauit. Hæc pax est fallax, fucata, externa, impia, quæ osculo prodidit Dominum, & proditorem adegit in crucem. Huius pacis falsitas tum primum cognoscitur, quando ad cor reuersus, conscientiæ statum perlustras, & cum

Hier. 6.
Esa. 57.
Eccl 41.
Quadruplex pax.
1. Impiorũ.

cum animo tuo de actionibus tuis inis rationem. tunc enim in conscientia vides inquietudinem, perturbationem, metum, bellũ. hoc examen si in hac vita institueris, consulto feceris; quia spes est faciendæ pacis, quamdiu viuimus: si mortem præstoleris, velis, nolis, latrantem mordentemque conscientiam patieris, cum qua in omni æternitate pax nulla conficietur. Hęc impiorum pax cauenda nobis est, quia cito turbatur, & ad mortis mentionem, futurique iudicii, & gehennæ memoriam perit.

Sunt porro alii non impii, sed iusti, qui cum Deo quidem in gratiam redierunt, & cum conscientia sua pacem composuerũt, quibus tamen necdum est solida illa pax iustorum, qui nullo aduerso casu mouentur, sed instar tessaræ, quocunque euentu & iactu firmi immobilesque consistũt. His, ad plenam perfectãque pacem, est adlaborandum, vt domesticum hostem, passiones, inquam prauasq. cupiditates rationi subiiciant. Nisi enim recta ratio dominetur, non erit pax integra, in homine etiam iusto, qui facilè rebus aduersis, aut minus gratis turbatur. Vera, perfectaque pax tum demum obtinetur, quando ad omnem Dei voluntatem, nutumque parati, grato id animo suscipimus, quod nobis immittitur

2. Iustorum.

3. Perfecta.

à Domino. Hanc pacem qui Dei munere
Gala.5. obtinuerunt, illud etiam consequuntur,
Coloss.3. quod pacem comitari solet, gaudium inquam, & lætitiam cordis. Sicut enim in Republica post diuturnum, graueque bellum, inita pace, communis sequitur lætitia ciuium: ita in homine, qui pacem cum Deo habet, & cum conscientia, perpetuum est gaudium, animique iubilum, iuxta illud
Prou. 15 secura mens, iuge conuiuium.

Cæterum, quia pro conditione huius vitæ, non plenè conquiescit anima nostra,
4. Beatorum. quæ nullius creaturæ possessione satiatur; nulla est in hoc mundo pax perfecta: sed in Hierusalem cælesti, visione veræ pacis, cui
Ps. 147. posuit Deus fines eius pacem, vt ad eam adspiremus; ibi fundari in pace desideremus,
Ps. 86. vbi fundamenta sunt in montibus
Ps. 90. sanctis; & altissimum est refugium eius.

Igitur virgo mater Dei, funda nos in pace: da singulis illam in hac vita pacem, quę & verum afferat animis gaudium; & initium sit pacis æternę, in qua post hanc vitam requiescamus: da autem fidelibus cultoribus tuis hanc quadruplicem pacem, 1. totius Ecclesiæ, vt destructis aduersitatibus, & erroribus vniuersis, secura Deo seruiat libertate. 2. cuiusuis Reipublicæ, vt ciues in vna fide, Christianaq. charitate, tanquam

tanquam vnius corporis mĕbra: non quod suum est quisque, sed quod aliorum est, desiderent, & quærant. 3. Vniuscuiusque familiæ, vt qui eadem mensa, eodemque pane in eadem domo vescuntur, summa etiam pace vniantur. Maritus vxorem diligat: Vxor marito pareat: Filij parentibus honorem deferant: parentes filios ad diuini nominis gloriam dirigant: famuli domi nis fideliter seruiant: heri famulis Christiana mansuetudine imperent. 4. cuiuslibet nostrum, vt singuli pacem habeamus cum Deo, cum proximis, cum nobis ipsis, conscientiaque nostra. Hanc pacem nemo perturbet; nulla hæresis inficiat; nulla peccata violent; nullus dæmon inquietet. *Philip. 2* *Eph. 5. & 6.*

Ita ad Virginem oratione, qua fundari in pace rogamus, nulla iniuria irrogatur Christo, qui est auctor pacis & amator; qui fecit vtraque vnum; qui nobis sanguine suo Patrem cŏciliauit, preciumque sanguinis, & mortis ad peccatorum obtinendam condonationem, liberaliter soluit; qui solus est pax nostra, mediator Dei, & hominum Christus I E S V S. Non enim sic nos sanctissima virgo fundat in pace; sed quomodo creaturis licet pacem dare, & conciliare. Itaque primò Principes, bello deuincunt hostes, adferuntque pacem rebus *Christus pax nostra. Eph. 2.* *Creaturæ dant pacem.*

4.Reg.19 publicis suis. 2. Angeli non solos prosternunt homines; (quos vnicus interfecit vna nocte ad centum octogintaquinque millia) sed cum ipsis dęmonibus ineunt certamen. Michael Archangelus diabolum cum
Apoc.12 suis cælo deturbauit, & cum eodem postea de Moysi corpore disceptauit; Matrē
Iudæ 1. Dei plus posse in homines & dęmones, quam vlli creaturæ sit permissum, nemo inficiabitur. Plus igitur valet ad depellendos frangendosque hostes omnes externos visibiles & inuisibiles; illisque deuictis ad faciendam atque fundandam pacem, quam vel mortales Principes valeant, quos Patrię parentes vocant; pacisque auctores: vel Beati spiritus in ministerium missi; qui rectè à scripturis Angeli pacis appellantur:
Hebr. 1. Esa. 33. Amplius enim potest Dei mater, quàm minister: & cælorum Regina, quàm incola cæli vel terræ.

Maria fundat pacem.

Cæterum quia ad solidam pacem firmandam satis non est externos hostes debellare; nisi & cum Deo offenso redeamus in gratiā; & praua hominis voluntate mutata, restituatur sua quies conscientiæ; nemo vtique propriè fundari potest in pace, nisi qui & Deum suis meritis placet; & voluntatem ad pœnitentiam inclinat. Illud solius Christi est, qui pretio sanguinis su[i]

Christus & Deus

pecca-

peccata expiauit. Hoc solius Dei, qui solus attingit & mouet voluntatem. vtrumque tamen etiam Virginis sanctissimæ precibus à Deo impetratur: quemadmodum alio cantico Ecclesia Dei matrem his verbis rogat: Tua per precata dulcisona, nobis da reis veniam per sæcula. Si enim multùm valet deprecatio iusti assidua; seu ἐνεργουμένη, efficax, etiam ad Dei iram nobis placandam; plurimùm vtique valebit matris Dei apud Filium oratio.

fundat in pace.

Iacob. 5.

Igitur ò virgo pacifici Regis Salomonis mater, funda nos in pace, vt de manibus inimicorum nostrorum liberati, seruiamus Christo in sanctitate & iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris.

Luc. 1.

Mutans nomen Euæ. Cōstat B. Virginem ab Angelo non Latina, sed vel Hebraica, vel Syriaca lingua salutatam. Pulchrè tamen prima salutis nostræ, & Angelicæ salutationis vox, ea nobis ab Ecclesia commēdata est, quæ videtur inuersa esse EVA, vt Christiani ex ipsis etiam litteris diuino cōsilio positis mysteria discant. Quemadmodum enim B. Epiphanius eleganter de his litteris, A, & ω philosophatur, de quib^9 dicit Dominus: Ego sum Alpha & o mega. quasi A, inferius apertum, & ω, apertum superius significent eum, qui descen-

Hæres. 62. Sabellian.

Apoc. 22

dit de cælo, & rurſus aſcendit in cęlum: Ita nobis in Latinis his literis, & ſyllabis contemplari licebit, quæ ad ſalutem noſtram facere videtur. Igitur E duplici ſpatio duas nobis vias demonſtrat; ſuperiorem, quæ in cęlum ducit; inferiorem, quę ad inferos. V non diſſimile eſt vaſi erecto, in quod liquor infunditur; poteſtque ſignificare hominem rectum, diuina repletum gratia. A eſt vas inuerſum, ore attingens terram; clauſum ea parte, qua ſuperiora reſpicit.

Itaque in vocula Eua præcedit E. Data eſt enim homini plena libertas, quamcūq; vellet, viam ingrediendi. Poſuit quippe
Eccl. 15. ante illum Dominus aquam & ignem; bonum & malum; vt quocunque liberet, manum conuerteret. Sequitur V; quia non modò perfectam accepit homo arbitrij libertatem; ſed iuſtitiam quoque originalē, & vberrimam gratiam, promptiſſimumq; diuinum ad omnia bona, quæ aggredi ſtatuiſſet, auxilium. Ceterùm libertate ſua infeliciter abuſus, vaſculum euertit; gratiam effudit; cæli viam obſerauit; inferni viam aperuit. quod nobis ſignificat littera A, quæ inferius patet; ſuperius concluſa eſt. Idem nobis indicat littera V, quæ poſt E, in Eua, ſiniſtro cornu occludit ſpatium ſuperius, quaſi obſerans aditum

in cælum; & sternens iter ad infernum. Quamobrem in hac voce Eua contemplari licebit hominem quidem initio rectum, sed malitia sua misere inuersũ;& cui Deus os sublime dedit, cęlumq; tueri iussit, & erectos ad sidera tollere vultus,vt cælestia sublimiaq. perpetuò meditaretur appeteretque,iam eô redactum, vt instar arborũ terrę infixus, nihil pręter terrena cogitet, desideret, velit, loquatur: de quo rectè cæcus ille euangelicus à Christo quid videret,interrogatus, respondit; Video homines sicut arbores ambulantes, hoc est, inuersos, capite terrenis rebus immersos; pedibus cælestia auersantes, & proculcantes;contrario, atque facti sunt, modo viuentes; voluptatibus, diuitiis, cupiditatibus seruientes;denique præter terrena nihil sapientes. *Mar. 8.*

Obseruandum est autem hoc nomen, Eua, post peccatum demum à peccatore Adamo,peccatrici vxori impositum. Nam ante peccatum ab eodem Adamo, sed viro iusto, aliud nomen nobilius acceperat: Hæc, inquit, vocabitur virago, hebraicé אשה quasi dicas,virã,quia de איש, hoc est de viro sumpta est. Theodotion vertit, vocabitur *ἀνδρὶς ἐκ τοῦ ἀνδρός.* *Genes. 2*

Porrò vocula, AVE,vox est gratulationis

& gaudij, transpositisque litteris contraria nobis ob oculos ponit. Nam primo loco occurrit A, homo inanis, peccator, terrenus: tales enim à parentibus nascimur; & non prius, quod spirituale est, sed quod animale: deinde quod spirituale: Proinde succedit V, quando sacramento baptismatis abluti, ad cælos conuersi sumus, diuinisque charismatibus ac gratiis repleti. Postrema ad latus dextrum est littera, E, non iam impedita, sed aperta, liberaque, vt nos à sinistris hędis ad oues dexteras translati, nullo iam obstaculo in cælos adscendamus, diuina gratia adiuti, quam precedens, V, pollicetur. Patet nihilominus etiam via gehennę, hoc est, spatium in E inferius: vt scias arbitrii libertatem à diuina gratia recedentem, ducere in gehennam.

Feliciter ergo mutatur EVA in A V E, miseria in felicitatem, dolor in gaudium, peccatum in gratiam, pœna in gloriam, idque per MARIAM Virginem Dei matrem, cuius natiuitas gaudium annunciauit vniuerso mundo. Inuersi sumus per gratiam Christi, atque in alios viros muta ti, erecto vultu cęlum intuentes. Ablatum est vetus illud nomen: Non enim memor
Ps. 15. ero (ait Dominus) nominum eorum per la-

bia mea, ſed ſcribam ſuper eos nomen Dei mei, & nomen ciuitatis Dei mei nouæ Hierusalem, quæ deſcendit de cælo à DEO meo, & nomen meum nouum, nimirum, vt per inhabitantem Spiritum Dei in nobis, conſortes ſimus diuinæ naturæ, ciues cæleſtis Hieruſalem, filii Dei, veri Chriſtiani, & hæredes æternæ ſalutis. *Apoc. 3.* *Rom. 8.* *2. Petr. 1*

Quamobrem, ò Beatiſſima virgo, DOMINA noſtra, te ſupplices deprecamur, vt lætiſſima hac voce, A V E M A R I A, à nobis ſalutata, mutes nomen, E V A, in A V E, mœrorem in gaudium, peccatorem iniuſtum, inimicum DEI, in DEI filium.

VERSVS III.

Solue vincla reis;
Profer lumen cæcis:
Mala noſtra pelle,
Bona cuncta poſce.

Explicatio eſt eius, quod in primo carmine primi verſus dictum fuit, *Maris ſtella*.

SOlue vincla reis. Duplicia ſunt captiuorum vincula, nimirum carcer ipſe, in quo miſeri concluduntur, & funes ſeu *VINCLA.*

catenæ

catenæ quibus eorum membra constringuntur. Et carcer quidem alius alio tetrior est. alius quoque naualis est, vt triremis: alius terrestris. vincula verò alia strictiora; alia laxiora: alia firmiora; alia leniora; alia manuum; alia pedum; alia totius corporis. Laqueus etiam collum stringit, hominemq. præfocat. Carcer animæ nostræ est corpus hoc nostrum, quod in mari huius mundi, instar triremis, fluctuat: & ab anima impellitur: sicut à captiuis vinctisq. mancipijs triremes aguntur. Próque corporum & peccatorum atque affectionum diuersitate, varia sunt eiusmodi carcerum genera. Hominis etenim ebriosi corpus, vino, cibisque madens & plenum, quid est nisi sordidus carcer, vermibus scatens, & tanquam lutulenta palus, ranis, lumbricis, serpentibus, hydris referta? Libidinosus verò, carcerem animæ habet, quasi putidas latrinas humanis excrementis, fœtentem. Neque desunt sui, superbis, auaris, inuidis, iracundis, cæterisque peccatoribus, incommodi carceres, in quibus affecti varijs perturbationibus atque molestijs, facti sunt sibimetipsis graues. Ea est porrò quorundam cæca insania, vt horrorem carceris sui neque deplorent, neque aduertāt, neque agnoscāt etiā moniti, & quo carcer

Carcer.

D Bern. serm. 26. in cant. Aug in Ps. 87.

eſt tetrior, hoc eſt, quo corpus pluribus ſcatet vitiis & peccatis; eò ſibi magis placeant & blandiantur, aueâtque magis in hoc ſuo corpore perpetuò detineri, quã corpore, carcereq. hoc ſoluti emigrare ad Chriſtũ. Hi ſimiles ſunt mancipijs triremium, quæ miſerijs aſſueta præferunt miſerrimam ſeruitutem iucundiſſimæ libertati. Non ita Apoſtolus Paulus, qui optabat diſſolui, & eſſe cum Chriſto, non ita beatus ille ſenex Simeon, qui magna gratulatione præſtolabatur horam diſſolutionis ſuæ, non ita Dauid, qui gemebat prolongatum eſſe incolatum ſuum.

Philip. 1

Luca 2.

Pſ. 119.

Oramus igitur te, o maris ſtella, vt nobis reis vincula ſoluas, & primò quidem, ex tetro carcere in amœniorẽ educas, hoc eſt, corpus varijs malis, peccatisq. infectũ, tot fœtoribus incommodiſque liberes: vt tot vitijs expediti, liberiùs cælum intueamur, & ea quæ ſalutis noſtræ ſunt, contemplemur. Deinde verò tandem ex hoc corpore euocati, ad cęleſtis gloriæ libertatem euolemus. in reſurrectione quippe, quando mortale hoc induet immortalitatem, corpus glorioſum non erit animo, carceris loco: quia animus tunc corporis miniſterijs ad ſpiritualia ſua munia diuinaſque contemplationes vtetur, longè

1. Co. 15

comme-

monis voluntatem facilius impellitur;quo pluribus, grauioribusque obnoxii sumus peccatis. Qui facit peccatum, (ait DOminus) seruus est peccati. Et licet à mortalibus peccatis abstineamus; qui tamen venialibus delinquit, vires auget concupiscentiæ; tantoque magis, quo peccata illa vel grauiora fuerint, vel minori studio, conatuque declinata, & quia hoc vinculum à natiuitate nobis iniectum est, semperque adhæret,non parum molestiæ facit bonis, qui liberè in Deum ferri volũt. Alia vincula sunt externa quæuis impedimenta salutis,& perfectionis; diuitiæ, honores, socij,parentes,aliæque occasiones malorum.

Ioan. 8.

Impedimenta.

Heu quàm miseri sumus: quot funibus vincti: quot remoris detenti: quot vinculis impediti. Non deest subinde rectè operandi voluntas, piumque perfectionis desiderium:sed cùm velle adiacet mihi, perficere non inuenio. Si opus bonum aggredi conor, insurgunt multi qui prohibent: si foras procedo, comitatur superbia; si eleemosynã largior,retinet auaritia;si corpori necessaria tribuo,inficit delectatio; si oculos in quampiam coniicio, irrepit libido,turpisque affectio; si quem pro officio admoneo, commouet ira; si alterius prosperitatem

Rom. 7.

ſperitatem intelligo, tangit inuidia: ſi preces ad Deum fundo, huc illucque infinitis cogitationibus diſtrahor, ſi meditationi me dedo, obrepit ſomnus, ſi peccata deſerere, puriorémque viuendi rationem cogito, irrident ſocij, obſtrepit mundus, prohibet pudor, ſi religionem, & perfectionis viam meditor, obſiſtunt parentes: denique quicquid aggredior, inuenio compedes, nectuntur moræ, vincula retinent. Heu quot laquei, quot funes peccatorum, quot impedimenta ſalutis. & quis hæc euadet? quis liber, & expeditus ſolum Deum quæret? Tu virgo beata ſolue vincula reis, amoue ſalutis remoras, tolle virtutis impedimenta, vt mēte & corpore pariter expediti, quæ Dei ſunt, liberis mentibus exequamur.

REIS. At ſumus rei. Titulus noſter in hac vita. Rei in conceptione: Rei à natiuitate. Rei per omnem vitam, vt enim baptiſmi ſacramento anima mea ab omni peccato purgata, omni quoque reatu pœnæ libera fuit: ſimul atque tamen vſus rationis acceſſit, nouis me iniquitatibus reum conſtitui, maliſque inuolui, in Dei mei offenſam incurri, gehennæ pęnas promerui. Reus igitur ſum, & dignus quem infernus abſorbeat, dignus æterno ſupplicio, dignus omni huius vitæ incommodo, & hoc

ſi

ſi agnoſco, ſi conſcientia teſte profiteor, ſi inficiari non audeo, cur ad minimas iniurias indignor? ad minima incommoda iraſcor? ad leuia damna blaſphemo? ſi ob magnitudinem peccatorum ſum reus gehennæ, de iniuria vtique queri nō potero, ſi me etiam nunc in æternos inferni cruciatus præcipitet Deus. Cur ergo non fero leuia, neque ea tolero patienter, quæ & momentanea ſunt, & exigua, & ad medelam data?

Solue porrò Domina noſtra vincula reis. Solue precibus, ſolue meritis, ſolue auctoritate, ſolue imperio. externa omnia vincula ſolo nutu & voluntate remouere potes. Paſſiones, quæ in peccatorum pœnam nobis relictæ ſunt, tu meritis tuis diminuis, peccata verò ipſa, vt nobis dimittantur, precibus & meritis impetras. Tanta quippe apud Deum Filium polles auctoritate, vt illis pœnitentię donum (ſine quo peccata non remittuntur) & beneficiũ ſacramenti obtineas, quibus illa velis concedi. Cùm igitur tantum in conuerſione peccatorum valeas, pluraque in peccatorum condonatione poſſis quàm mens noſtra aſſequatur: ſolue, quæſo, vincula reis, & pro funibus peccatorum inijce vincula charitatis, reoſque deformibus vinculis ſolutos, SOLVE

lutos, transfer in DEI filios, nobilibus monilibus torquibusque ornatos.

Profer lumen cæcis. Malè legunt quidam. *Præfer.* Non.n. cæcis præfertur lumẽ, sed rogatur proferri, vt oculis illustrati videãt. Alter est titulus noster, quòd cæci sumus, & quidem eo miserabiliores cæci, quòd cæcitatẽ ipsi nostrã neq; defleamus, neque aduertamus, sed tanquam acutissimè videntes, etiam de cæcitate nostra gloriemur.

CAECIS.

Cęcorum duo sunt genera. Propriè namq. cęci sunt qui videndi carẽt facultate, vel quod omnino desit videndi sensus, vel quod tecta pupilla videre prohibeantur. Possunt etiam illi cęcorũ nomine vocari, qui tenebris inclusi, vel carceri, vel subterraneis antris, nullũ lumen aspiciunt, vt hos ad animã trãsferamus, ad prius genus pertinẽt illi omnes, qui fide carent, Infideles, Iudæi, Hæretici: siue illos ignorantia excæcatos teneat, siue voluptas, licentiaq; & impunitas malè agendi. Vix enim fieri potest, vt vir eruditus hæresim sibi pro veritate ex animo persuadeat, sed plerũq; sola libertate peccãdi hæresim profitetur. In eiusmodi, tecta est pupilla per carũculam, vel pelliculam libidinis, aut malitiæ; quæ si tollatur, non difficile fuerit lumen restituere. Vtcunque autem hæc cæcitas homi-

D. Aug. tract. 44. in Ioan.

hominibus accidat, miseri sunt cæci, qui lumen cæli solisque non videant, neque ad æternæ gloriæ lucem aspirare audeãt: quia quantumcunque quauis in scientia quibus uis in virtutibus, quauis in honestate profeceris, nisi Orthodoxam, Catholicam, Romanam, vnicamque & veram fidem profitearis, sine hac fide omnino impossibile est placere Deo. *Hebr. 11*

Ad posterius genus cæcorum referuntur Catholici, qui fidei quidem lumine, & quasi videndi sensu donati; in densissimis tamen tenebris versantur, ijsq. duplicibus; Alteris quidem priuationis diuinæ gratiæ; quibus tenebris animus fœditate diabolica, & horribili nigrore conspurcatus, amissa omni pulchritudine luminis cęlestis, ad dæmonis similitudinem accedit: Alteris verò insensibilitatis animi, qui vt credat ea quæ à fide proponuntur ijs duntaxat, quæ corporis sensibus obiiciuntur, mouetur. Non ignorat instare pro foribus mortem; post mortis ianuam astare seuerissimum iudicem; atque ad Iudicis immutabilem sententiam expectare hianti ore infernum, vt miserum deglutiat: nec tamen timore concutitur. videt oculis corporis multos sibi notos præmatura & inopinata morte abreptos esse; scit variis casibus

mortem inuadere; nouit se ab ijsdem non alienum esse, neque magis certum de crastina vita, quàm de crastina morte, vel magis incertum de crastina morte, quàm de crastina vita, nec tamen commouetur, sed quasi nunquā moriturus in vtramq. aurē multis obrutus peccatis, securissime dormit. Fide credit nobilitatem, præstantiam, æternitatem bonorum cælestium, sensu docetur vilitatem, ignobilitatem, breuitatē bonorum terrestrium, aurū, argētum, gemmas terra constare, ærugine consumi, à furibus tolli, honores aere vaniores, leui flatu euanescere, corporis voluptates quouis cœno fœdiores, post momentaneam oblectationem grauibus aculeis conscientiam pungere, ignominiam creare, mortem accelerare, & ad hæc tamen terrena quærenda totus incumbit, ad illa verò cælestia vix mentem attollere dignatur. Magnæ reuera tenebræ, quibus animus offunditur. Ab his igitur, ò Virgo sanctissima, nos libera, tenebras pelle, profer Lumen cęcis.

LVMEN. Triplex verò lumen in hoc mundo poscimus. primum est fidei, vt discussis hæreseon, errorumque tenebris, veritatis lumē clarè contueamur. Alterum est gratiæ, quo animus per Spiritum sanctū illustratus, ab ipso etiam Deo cognoscatur, ne cum tene-

 brioni-

brionibus audiamus. Non noui vos. Tertium est intelligentiæ, de quo scriptura loquitur. Nisi credideritis, non intelligetis, & alibi. Audi filia & vide. Credunt enim multi etiam viri boni, qui nomine filiæ significantur, non tamen vel vident vel intelligunt, hoc est, spiritualia, futura, ęterna neque aduertunt, neque sapiunt, neque diligunt. Precamur ergo te virginem DEI matrem, lucidissimam maris stellam, profer lumen cæcis, da vt rectè credamus, vt credentes iustificemur, vt iustificati gustemus videamusque quàm suauis est DOMINUS, videntes tota in eum dilectione, & ardenti charitate feramur. Vnica enim hæc est causa exigui nostri in DEUM amoris & desiderij, quod eum non cogitemus, non meditemur, non sapiamus, non gustemus. Cæterum, quia hic locus inferior nunquã tenebris vacare potest: precamur, vt, exuto corpore, verum nobis proferas lumen gloriæ, vt ab interioribus exterioribusque tenebris liberi, clarè DEI vultum intueamur, æternoque lumine diuino perfruamur. Mat. 25 Esa. 7. Ps. 44.

Profer, inquam, lumen cæcis per summam illam amplissimamque, qua vt DEI mater & DOMINA mundi, in genus humanum polles, authoritatem. & quidem illa, PROFER.

quæ animæ naturam, voluntatiſque (& in-
Pſ. 23. tellectus motionem attingunt, ſibi ſoli re-
Sapien. 6 ſeruauit Deus. Siquidem gratiam & glo
Hier. 17. riam dabit Dominus, qui vnus ſcrutatur
Rom. 8. renes & corda Deus; quique ad fidem ſuſci
Apoc. 2. piendam aperit corda hominum; gratia iu
Rom. 8. ſtificat; Spiritus ſancti dona infundit. Atta
Rom. 5. men tu precibus, meritiſque tuis obtine
re vales, quæ in Dei vnius ſunt poteſtate.
Si enim ſerui à Domino peccatorum con
Actor. 7. uerſionem impetrauerunt; ſi Stephanus
L. 3. cõf. Paulum Eccleſiæ dedit; ſi Monica Augu-
cap. 12. ſtinum lachrymis accepit: Tibi matri ſuæ
negabit quippiam Filius? Plurima porrò
per te, miniſtroſque tuos Angelos, tutelares noſtros, ad lumen cæcis proferendum, animoſque diuina gratia informandos præſtas. Tu ſanctos viros ad verbum Dei denunciandum incredulis excitas. Tu infideles ad eos audiendos moues. Tu pias cogitationes ſuggeris. Tu ſenſus internos aperis. Tu affectum, & appetitum ſenſuum delectas. Tu diabolicas obnubilationes, quibus animus offunditur, diſcutis, illiſq. diſcuſſis, ſerenitatem & conſolationem adfers. tu iis omnibus quæ extra animæ naturam ſunt, ad iuſtificationem & gratiã præparas. Tu igitur profer lumen cæcis: fidem, gratiam, Spiritus ſancti munera pre-

ra precibus & meritis obtine: ad illa suscipienda nobis adiumenta suggere; animum sensusq. præpara: hortare, commoue, & demum emigrãtes ex his corporibus, animas nostras manibus tuis suscipe; Christoq. veræ luci æterno lumine illustrãdas exhibe.

Mala nostra pelle. Mala sunt huius vitæ duplicia, peccatum, & quidquid ad peccatum inducit: & quidem peccatum est omnium malorum maximum: sed à miseris cæcisq. nobis in numero malorum vix esse existimatur. En quantum malum Aduersatur Deo infinito bono, priuat omni bono, inducit omne malum: puniturque infinito malo: Omnia mala inuexit peccatum in mundum, omnes calamitates, omnes miserias: Deum ipsum adegit in crucem; inferni pœnas & excitauit, & in æternum conseruabit. Hoc malum à nobis pelle, virgo sanctissima: quia peccatum est Inferno deterius, grauius, nocentius, perniciosius. *MALA.*

Ad peccatum verò pelliciũt multa: quia vix quicquam est in orbe terrarũ, quo non abutatur malitia nostra. 1. concupiscentia ex peccato nata continenter nobis bella mouet, & ad peccatum solicitat: malum nobis innatum, inhærens, instrumentum diaboli & mundi, coniuratorum hostium nostræ salutis. 2. prosperitas graue

malum est, mentemque ad ima deprimit, suauiterque demulcens à Deo auertit, & in cœno retinet peccatorum. Verissimus laqueus diaboli dulciter suffocans, & in bonis tamen rebus ab omnibus ponitur, summeque diligitur, quęritur, ac tenacissimè retinetur. Bona quidem est ex se prosperitas, sed nocet incautis. sicut vinum his qui calidis febribus vtuntur. Quemadmodum item nimia tranquillitas aeris & maris graui est incommodo nautis, qui tametsi contemplentur ludentes in æquore pisces: non promouent tamen, neque ad portum appellunt, & ne à cetis atque balænis euertantur, imminet periculum. 3. Aduersitas mala est his qui eius virtutes ignorant, quorum persona & nomine dixit Sapiens,
Pro. 30. Diuitias & mendicitatem ne dederis mihi.
Simile. vt enim in mari ventorum procellæ vehementer impellunt naues, quæ eorum se flatibus passis velis committunt: quæ autem aduerso vento nituntur, adeò nihil promouent, vt etiam ab euersione nō absit periculum, hocque maximè in æstu maris metuitur, ne in scopulos illidatur nauis, & ne vel in vado hæreat, vel naufragium patiatur; Ita afflictiones & hujus vitæ tribulationes illis vtique non parum adiumenti afferunt, ad portum æternæ salutis, qui

ex Dei voluntate eas admittunt. Quia namque intelligunt huius mundi cōditionem esse, vt non aliter continuò varijs casibus agitetur, atque mare fluctibus, & vndis mouetur, illud omne de manu Dei suscipiunt, quod prosperum, vel aduersum accidit. Mundi conditio est, vt fluat, transeat, fluctuet, vi ventorum agitetur. in quo qui plura sustinent incommoda, feliciùs, citiusque portum attingunt æternæ vitæ. Martyres, qui sanguine suo; Doctores, qui laboribus suis, Confessores, qui pęnitentijs suis, alijque qui afflictionibus suis peccata redemerunt, rectà hinc euolauerūt in cęlos. Qui verò hic molestias subterfugiunt, & pœnitentiæ operibus peccata expiare recusant, illos tanto diutiùs & acriùs torquet purgatorius ignis, atque ab ingressu portus cęlestis remoratur, quò minus hic molestiarū pro peccatis susceperunt. Vt porrò hic maris tempestate, hoc est, huius mundi aduersis sine periculo impellaris, cauendū tibi est 1. quidem à scopulis, ne superbia, inuidia, iracundia, impatienter feras diuina flagella, nauemque rumpas, deinde vero à locis vadosis, ne desperatione in imo hæreas: denique ne venti flatibus aduerseris, sed te diuinæ prorsus dedas voluntati.

NOSTRA.

Verissima sententia est: neminem lædi,

nisi a seipso. Mala igitur nostra non sunt, nisi quæ nobis ipsi creamus, peccata nobis nulla imputantur, nisi quibus voluntas cõsentit, aut afficitur: tametsi vel intus animum fœdis suggestionibus irritent; vel foris aliorum sermone audiantur. Tribulationes quoque, & afflictiones nobis malæ non sunt, si non nimium iis percellamur. O felicem igitur hominem iustum, in cuius potestate est nulla habere mala sua si nullis patiatur se malis commoueri: Infelicem verò hominem peccatorem, cuius innumera sunt mala, etiam aliena. Peccatum enim proprium malum eius est, quod animam eius lædit. Peccatum ab alio, ipsius consilio, suasu, exemplo commissum, eius etiam malum est, quo anima eius ab alio vulneratur. Pœnæ quoque peccatorum, ipsius mala sunt: illæ præsertim quæ post flagitiosam hanc vitam præstolãtur in gehenna peccatorẽ: simulatq. enim ab eo peccatum est perpetratum, sedes illi statuitur in inferno, pœnaq. decernitur pro peccatorum numero & grauitate. Pelle igitur, ó virgo, maris stella, mala nostra: vt & peccata deuitemus; & alienis peccatis non implicemur: & molestiis, angoribusq. non conficiamur.

Neque mala solummodo mea, sed mala nostra

la nostra pelle; communia, inquam, familiæ meæ, mihi creditorum hominum, Reipublicæ nostræ, totius Ecclesiæ, à fami lia omnem amoue dissensionem; à mihi cōmissis, omnia peccata; ab Ecclesia Christi, omnem repelle nequitiam. Defunctorum quoque animas ab omnibus pœnis eripe, illisque veniam obtine delictorum.

PELLE

Cęleste illud sidus, quod maris stellam vocamus, exhilarare quidem nautas aspectu suo potest; sed mala Oceani depellere non potest. At tu Virgo beatissima longè clarior, pręstantiorque maris stella, non solum spem præbes tranquillitatis; sed ipsa mala nostra pellis; & tempestatem sedas. depellis enim peccata à nobis, quibus delictorum condonationem impetras: tollis pœnas peccatorum; auertis occasiones peccandi: Denique conterens caput serpentis, omnes illius insidias detegis, & vires frangis. Mala igitur nostra pelle oratione, meritis, potestate. Adesto nobis, vt quod a te petimus, ipsi quoque mala nostra depellamus; peccatorum declinemus occasiones; peccata iam commissa defleamus; salutari pœnitentia expiemus; & sacra confessione deponamus: concupiscentiæ vires frangamus; nullis aduersis deiiciamur: nullis prosperis extollamur; nullis tribu-

lationibus moueamur; animi quietem nulla vnquam re turbari patiamur: nihil præter Dei gloriam aut ſpectemus, aut in animos noſtros influere patiamur.

BONA. *Bona cuncta poſce.* Nihil velle poteſt voluntas noſtra, niſi bonum verum, aut apparens. Sed bonum apparens rationem non habet ſolidi boni: ſicut lux ſtellionis aut fungi, non eſt lux vera. bonum autem verum eſt ſolus Deus. Creaturæ omnes ab eo mutuantur bonitatem, vt nuſquam deſit bonum, vbi adeſt Deus; & ibi plus boni ſit, vbi Deus eſt coniunctior. Cùm igitur Deus ſit vbique, nuſquam deeſt bonum. In cęlo eſt omne bonũ, vt gloria præmiumq. meritorum: nullum illic cernitur malum. In terra ſunt bona vtilia, ſed mixta malis. Nullum eſt tamen malum, quod non poſſit, ſi velimus, habere veram ſpeciem boni. Quædam enim ſunt bona quæ nequeũt eſſe mala: vt, gratia, amicitia Dei, virtutes, pax conſcientiæ. Alia ſunt adiaphora, vt diuitiæ, honores, loqui, incedere, quæ ex vſu, & intentione hominis, vel bona ſunt, vel mala. alia ex ſe mala ſunt, quæ tamen adferre poſſunt cauſam magni boni, & meriti, vt verbera, perſecutiones, ceteræque corporis & mentis afflictiones. Peccata etiam à nobis commiſſa, tametſi nunquam

in bonum conuertantur, aut meriti rationem habeant: ex Dei tamen misericordia non parum prosunt peccatoribus, qui eorum recordatione stimulos sibi addunt ad virtutem. Denique nullum est malum in hac vita, quo non possimus vti ad bonum nostrum: vt discas Christiani hominis felicitatem, cui omnia cedunt in bonum, si velit. In inferno autem bona sunt quidem ex pręsentia Dei, sed non miseris damnatis. quibus hæc bona, quæ Dei gloriam, & sanctorum consolationem promouent, miseriam augent, & calamitatem. illa sunt: esse ipsum; & diuina iustitia. vellent enim non esse, & diuinam iustitiam in se non sæuire.

Petimus autem bona cuncta. 1. vitam æternam, in qua est omne bonum, cùm sit status omnium bonorum aggregatione perfectus. 2. bona corporis, & animę. 3. vt adiaphoris, & afflictionibus non nisi ad bonum animarumque nostrarum salutem vtamur. 4. vt à Deo auersi, flagellis corrigamur: siquidem amara potio est res bona infirmis. 5. vt omnibus creaturis, illisque rebus, quas nobis immittit Deus, ad Creatoris ac Domini laudem accendamur, sintque nobis ad animæ salutem lucrosa omnia; siue prospera, siue aduersa, seu læta, CVNCTA.

seu tristia. sicut enim ex sordida terra eruitur aurum; & merces quædam ex præstanti vtilitate nobiles sunt, in se tamen sordidæ & fætentes, (vt, colores & hærbæ fullonum, atque tinctorum) Ita in rebus abiectis hui⁹ mũdi maximi occulũtur thesauri.

POSCE. Tu igitur Virgo maris stella ad bona omnia adducas in hoc ęstuso mari clientes tuos. Tu, inquam, quæ bona cuncta iam es plenissimè assecuta, quæ Deum possides omnium bonorum fontem, quæ sola sanctorum omnium es redimita coronis, & quidquid in singulis est gloriæ, & boni, illud obtines vna iis omnibus perfectius, nobis miseris fauorem tuum exhibe, & bona cuncta posce. Potes quidem per gloriosam maiestatem auctoritatemque tuã largiri multa hominibus: sed nihil est, quod precibus apud filium nõ obtineas, illa quoque quę suæ solius potentię omnipotens Deus reseruauit: cuiusmodi sunt, quæ ad mentem nostram, cælestiaque bona pertinent. Posce itaque, & impetra nobis intellectus illustrationem, vt depulsa cęcitate, fœditatem peccatorum intueamur, & res huius vitæ non aliter quàm par sit æstimemus. Posce vt voluntas ad malitiam inclinata, à Deoq. auersa, in Dei amorem transmutetur: Posce Dei gratiam, & peccato-

rum

rum remiſsionem: Poſce conſtantiam in bono, vt affectus noſter non niſi in Deum feratur, nullaque re alia quàm ſummo bono delectetur, & rebus omnibus, ſeu proſperis, ſeu aduerſis, ad Dei ſolius honorem vtatur. Poſce poſt hanc vitam nobis gloriam beatorum, in qua ſola aſſeruantur cuncta bona. Poſce vt ad illa bona ſtatim euolemus, neque nos diutiùs vel moleſtiæ huius vitæ, vel purgatorii ignis tormenta à poſſeſſione bonorum omnium remorentur.

VERSVS IIII.

Monſtra te eße matrem;
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit eſſe tuus.

Explicatur ſecundum carmen primi verſus, nimirum, *Dei Mater alma.*

M*Onſtra te eſſe matrem.* Chriſtus filius Dei à Deo Patre habet diuinitatē: à virgine Matre naturam humanam, corpus ipſum & ſanguinem, quem ſibi ex puriſſimis eius ſanguinibus aſſumpſit atque formauit. Non parum igitur iuris habet mater in corpus & ſanguinem Filii. Duplicem imprem nobis demiſit Dei Filius, priorē ſanguinis

guinis sui, quo de cruce terram irrigauit: Alterum Spiritus sancti, & gratiæ, quem sanguinis pretio nobis emptum de cælis in corda fidelium effudit. Sanguinis imbrem ex matre hauserat, quæ nouem mensibus infantem vtero gestarat, natumque lacte pauerat. Spiritus sancti porrò imbrem sanguinis huius pretio nobis cōparauit: quod pretium, ob Filij Dei immensam dignitatem, infinita meritorum copia continetur. In hæc merita sanguinis Filij sui plus iuris habet mater, quæ sanguinem dedit, quàm alia quælibet creatura.

Quamobrem monstra te esse matrem, nobis sanguinis huius merita obtinens à Filio, vt illis sancti Spiritus gratiam mereamur: non enim pretium sanguinis negabit matri filius, qui eum sanguinem à matre accepit. Ad matrem duo pertinent: cura educatioque filij; & auctoritas in filium. Curasti filium infantem, puerum, adolescentem, adeoque virum in cruce non deseruisti: quin & mortuo iusta exhibuisti; pro filio laborasti, exilium, inopiam, molestiasque perpessa: tandem etiam doloris gladio perfossa, filij cruciatus in anima excepisti, optimè perfuncta officio matris Aequum est igitur, vt materna quoque apud filium tua valeat authoritas. Alij om

nes

nes precantur vt serui: tu vt mater auctoritatem habens; exaudiris pro tua reuerentia. Bethsabeę rogaturæ aliquid à filio Salomone Rege, Rex ipse filius occurrens, postquam adorasset, honoremque detulisset, ad dextram suam in throno matrem collocauit, & vltro inuitans dixit: Pete mater mea, neque enim fas est vt auertam faciem tuam. & quamuis illa, vt imprudens oratrix, non vxorem, quam petebat, sed necem obtinuerit Adoniæ; tu tamen mater æternæ Sapientiæ, quæ nunquam insipienter petis; nunquam etiam pateris repulsam. si enim ad gloriam sanctorum pertinet, vt à nobis rogati, impetrent à DEO: vtique ad gloriam Matris Dei, cuius Filius perstudiosus est, pertinebit, vt semper exaudiatur à Filio. 3.Reg.2

Te, quæ purissima es virgo, & homo sine labe peccati: vt tuam orbis terræ venerentur maiestatem; & cognoscant omnes, quibus viis hanc dignitatem matris sis assecuta: tuam vitam contemplentur, tuosque motes imitari studeant; ad tuam humilitatem animos demittāt, ad exemplum tui voluntaria deditione, atque integra deuotione, se in Dei potestatem tradant. qui enim ad virtutes tuas propiùs accesserit, ille plus apud Filium tuum grātia auctoritateque TE.

teque

teque valebit.

ESSE. *Esse*, non solum fuisse, quod improbus Copronymus olim blasphema voce dixit: qui virginem Dei matrem crumenæ nunc auro tumenti, nunc prorsus inani similem fecit. Non enim vt loculi pecunia vacui, ita Virgo post partum edito filio Dei, nulla pollet dignitate; quia post Christum in lucem editum remansit in Virgine duplex spiritus filii. Sicut igitur Helias præsentia sua solabatur Heliseum, quem discedens auxit duplici suo spiritu, ita Christus gestatus vtero, matrem omni quidem virtutum genere decorauit, miraque suauitate affecit, vt magnificaret anima eius Dominum, & exultaret spiritus eius in Deo salutari suo: egressus vero corpore, eam omni spirituali gratia repleuit, gloriaque ornauit: propter quam dicant illam beatam omnes generationes. Et quæ prægnans erat mater Dei, per hunc Spiritum filii effecta est soror & mater Dei. Aduersus eiusmodi blasphemias monstra te non fuisse modo in terris, sed etiam num esse in cælis matrem filii Dei, qui te illic agnoscit matrem, sicut Deũ agnoscit Patrem. non desunt quippe impii sectatores Copronymi, qui, illo spiritu inflati, cuius tu iam olim caput contriuisti, tibi inuideant honorem matris Dei. Et alii

4. Reg. 2

Luce 1.

D. Aug. cap. 5. de sancta virginitate.

qui-

quidem te Christi, non Dei matrem vo-
lunt prædicari: alii verò nullum honorem
defunctæ, & longè dissitæ, nostraque igno-
ranti iubent haberi: alij rursus nihil te in
auxilium, salutemque nostram, vel ope, vel
precibus conferre posse impudenter tra-
dunt. Tu illis monstra te esse matrem; &
plus posse quàm putent. Vt enim mater Re
gis nihil non potest in vniuerso filii regno;
ita tu mater Dei omnia potes in cælo & in
terra. Monstra igitur te esse matrem Crea
toris; dæmones Creatoris osores compe-
sce, & fuga; hæreticos hostes tuos reprime:
creaturis omnibus salutem nostram com-
menda, & impera: omnis enim creatura su-
biecta Creatori, morem gerit matri Crea-
toris. Et sanè si aliquando mundo maiesta-
tem tuam exhibuisti; nunc tempus istud
postulat vt monstres te esse matrem, & in-
ter hostes filii tui te mediam interponas. Il-
li enim, hac præsertim tempestate, hæresi-
bus flagitiisque suis in filium tuum sunt
iniurii, & grauissimè blasphemi, cuius sacro-
sanctum corpus ex sanguine tuo purissimo
formatum sacrilegè proculcāt, bestiis obii-
ciunt, conuiciis afficiunt. Vindica sangui-
nem filii tui, qui in Eucharistiæ sacramēto
ab ipsis effusus est. Mōstra te esse matrem,
zelantem in hostes truculentos Filii Dei:

hunc sanguinem tu multum non patiare; sed eorum effunde sanguinem, qui Filium
Hebr.10 Dei, tuumq. conculcant, & sanguinem testamenti pollutum ducunt.

MATREM. Credimus quidem & confitemur te veram esse germanamque matrem vnigeniti Filii Dei, eiusdẽ omnino personæ, cuius Deus omnipotens; qui verbo condidit vniuersa, & maiestate sua cælum replet & terram, germanus verusque est pater. At nõ ignoramus quoque nos tibi à Christo filio datos esse filios adoptionis: qui de cruce loquẽs, fideles suos tibi in persona Ioan
Ioan. 19 nis vt filios commẽdauit; Mulier, inquiẽs, ecce filius tuus. &; Ecce mater tua. Qui enim per Spiritum sanctum suum, quo viuificat corda nostra, nos efficit filios Dei Pa
Rom. 8. tris sui, in quo clamamus Abba Pater, iu
Mat. 6. bemurque dicere: Pater noster, qui es in cælis: & Deo offerimur à filio vt fratres
Psal. 21 eius: Narrabo, inquit, nomen tuum fratribus meis: Idem ille nos voluit esse filios matris suæ, quam effecit matrem omniũ, vera vita viuentium, qui est Christus; qui
Gal. 2. cum Apostolo dicũt: Viuo autẽ, iam non ego: viuit vero in me Christus; habitat nãque Christus in corde & corpore nostro, non solo spiritu suo; sed corpore etiã illo, quod de virgine matre accepit, quoties

per ſacram hoſtiam in corda noſtra ingreſſus, nos in ſe tranſmutat, ſuasque proprietates, humilitatem, manſuetudinem, cæteraſque virtutes nobis communes facit. Per hanc igitur corporum coniunctionem potiori iure es mater noſtra, atque mater ſponſi vel mariti cenſetur mater ſponſæ vel vxoris. fratres ſumus filii tui, viuit in nobis filius tuus: vnum ſumus cum filio tuo. *Mat. 25 & 28.* Agnosce in nobis filium; & monſtra te eſſe matrē noſtram, qui eodē ſpiritu viuimus, idem corpus geſtamus; eodē ſanguine veſtimur. *1. Co. 10.* Vnus panis (inquit Apoſtolus) & *Epheſ. 5.* vnum corpus multi ſumus omnes qui de *1. Cor. 10* vno pane participamus. Nec caret myſterio, quòd Chriſtus filius tuus, qui in terris verſans, toties ſe filium hominis nuncupauerat, poſt vltima illa verba, quibus nos tibi in cruce filios dediderat, nunquam de ſe amplius hanc vocem filii hominis vſurpaſſe legatur. Non quòd reuiuiſcentis, in cælos aſſumpti, plenaque auctoritate iam regnantis Filii Dei deſinas eſſe mater: (nā & Stephanus vidit in cælis apertis filium hominis ſtantem à dextris virtutis Dei, & *Act. 7.* B. Ioanni Euangeliſtæ viſus eſt ſimilis filio hominis veſtitus podere) ſed quia iam *Apoc. 1.* glorioſus matris cura non egens, te totam velit in noſtri curam incumbere: nobisque

maternam solicitudinem exhibere. Nam idcirco statim à resurrectione nos fratres
Mat. 28 suos appellauit, dicens mulieribus: Ite, nũciate hæc fratribus meis, vt tu nos agnosceres filios, & nos te matrẽ veneraremur.

MONSTRA. Matris officium est, se mediam inter patrem iratum, & filium interponere; paternamque iram, & flagella à filio auertere. Tu es mediatrix nostra, media inter Solem
Apoc. 12 iustitiæ, & mutabilem Lunam. Iram igitur Dei auertas à nobis.

Mater singulari affectu diligit filium, fouet, tuetur, exhilarat; estque loco omnium infantulo, qui à matre sola in omnibus pendet. Tu mater nostra, consolatrix nostra, vita, dulcedo, & spes nostra, maternum filijs affectum declara; & monstra te nobis esse matrem, qui sub tuum præsidium confugimus, sancta *Dei* Genitrix: vt hostes nominis tui hæretici palam agnoscant, non esse inanem spem nostram; tibique curæ esse clientes & filios tuos.

Gen. 27. Rebecca Iacobo filio obtinuit patris be-
3 *Reg.* 2. nedictionem: Bethsabee Salomoni regnũ:
Confess. Monica Augustino sanctitatem & doctri-
l. 9. *c.* 12. nam. Tu mater nostra sis de filijs solicita. Demittatur ad nos tuis precibus & meritis larga cælestis benedictio; succurre errantibus; deduc nos in semitas iustitiæ; & demum

demum ſuſcipe in cæleſte regnum. O beatos illos qui te matrem venerantur, diligunt, & colunt, in illos, vt in filios, ſemper oculos defigis, illos protegis, illos virtutibus ornas, illis fauorem filii concilias. Illis in morte vt pia mater occurris: illos poſt mortem ad filium corona donandos adducis. Quis mortem metuat, & non potius optet, per quam ad amãtiſſimam matrem acceditur, quæ noſtri multo eſt amantior quàm quiſpiam cariſsimorum parentum? Precamur ergo te, Virgo ſanctiſsima, monſtra te eſſe matrem, vt te rectrice & duce hanc mortalem vitam ſic transfigamus, ne tuo auxilio poſt hanc vitam priuemur.

Scio quid reſpondeas, Domina clementiſſima, te quidem hactenus matris in nos officium non neglexiſſe, ſed nos filiorum officium prætermiſiſſe. Vis ergo vt monſtremus nos eſſe filios, ſi volumus vt in poſterum monſtres te eſſe matrem.

Atqui non ignoras, mater mitiſſima, humanę naturæ noſtræ fragilitatem. volumus quidem te colere matrem, te venerari, tibi morem gerere, ſed deprimit infirmitas, vt non quod volumus, illud faciamus. Matris eſt miſereſcere filij; diſsimulare multa, ignoſcere offenſas. & mater natura vincit filii dilectionem; cùm enim de dilectione

parentum ſint à Deo data præcepta filiis: de amore tamẽ filiorum nulla legimus in ſcripturis mandata matribus; non mirum igitur ſi à te dilectione præoccupati atque ſuperati; minus diligamus: ſed hoc precamur, vt amoris tui feruor in animis noſtris ignem dilectionis accendat.

SV-MAT. *Sumat per te preces.* Poſtquã mater ſe mõſtrat matrem: æquum plane eſt, vt filius ſe monſtret filiũ: quod ſane fiet, ſi per matrem ſumat preces, & vota fidelium. Rogamus igitur matrem, vt pro materna ſua in filium authoritate efficiat, ne filius noſtras repudiet preces. Magna eſt prorſus matris huius auctoritas, à cuius voluntate nunquam diſſentit filius: ſi enim voluntatem timentium ſe facit; an matris, quæ eum genuit, voluntatem negliget? O Beatos itaque nos, ſi matrem habeamus propitiam: ad quam pertinet, vt per ipſam filius ſumat preces noſtras. Infelices porrò illos omnes, quibus indignatur mater, preceſque eorum ab acceſſu filii repellit. Precamur ut filius ſumat, non abiiciat, ſed ſuſcipiat, approbet, annuat: non quidem, vt omnia quæ petimus donet (quæ enim noxia nobis ſunt, frequenter nos latent) ſed vt preces ſumat, & quæ ſalutaria fuerint, concedat. ſumat quoque preces, & bona

Pſal. 144

opera

opera nostra, atque in cælis in futurum tempus asseruet, non ea nobis custodienda relinquat, ne forte vel inani gloria, vel alio vitio nostro nobis pereant.

PER TE.

Sumat autem Filius per matrem, vt norint hæretici nos in matre non subsistere; sed per matrem vlteriùs progredi ad Filiũ. Non enim mater est finis noster aut scopus actionum precumque nostrarum: sed mediatrix nostra longe efficacior quàm fuerit Moyses, qui se appellat sequestrum, quòd preces populi ad Deũ deferret, Deique voluntaté ad populum referret; si quidem data est lex in manu mediatoris, Mater hæc est scala Iacob, quæ materna auctoritate penetrat cælos; profunda humilitate attingit terram nostram: vt mater, omnia potest apud filium: vt humilis virgo, præbet nobis se compellandi fiduciam. Est in hoc mystico corpore, quod collum in homine, medium inter caput & corpus, per quod & voces ascendunt ex corpore, & nutrimenta fomentaque descendunt de capite. Illa suscepit triũ Magorum munera oblata filio, spõsorum in Cana Galileæ desideria insinuauit, & miraculum impetrauit, fratres, hoc est, cognatos Domino adduxit, & vtilissimum eis hoc responsum accepit, illos demùm esse genuinos Domini fra-

Deut. 5. *Galat. 3* *Gen. 28* *Simile.* *Mat. 2.* *Ioan. 2.*

Mat. 12 ni fratres, quicunque voluntatem perficerent Patris cælestis. Nos sumus Dei templum, consecrati in virginis Matris hono-
1.Cor,6.
2.Cor.6. rem. sicut igitur in materiato tēplo, quod à beata Virgine nomen habet, quicquid ad Dei laudē geritur, illud sacræ virginis, tanquam loci Patronæ, manibus Deo offertur, ita rogamus vt preces nostras, & quicquid à nobis laude dignum præstatur, Virgo, Patrona nostra, Deo benignè offerat. quibus sedulò curandum est, ne quid sacris illis manibus indignum offeramus. Cæterum quia non ignoramus preces actionesque nostras multis esse humanæ infirmitatis sordibus contaminatas, iustitiasque
Isa.64. nostras esse immundas instar panni mulieris menstruatæ; vtpote qui vix sine euagatione mentis precamur; sine inani glori: bene operamur, sine impatientiæ sensu hortamur, sine aliis vitiosis motibus vel loquimur, vel aliquid perficimus. Rogamus Christi matrem, vt preces, meritaque nostra, ipsa suscipiat, suis manibus purget, suis meritis ornet, suis orationibus promoueat. Deo namque, qui immensæ est perfectionis, indignum est offerri quippiam non purgatum, mundum, aut nitidum.

PRECES. Preces offerimus, qui merita non audemus: cū & ipsa merita sint orationes & preces.

ces. Cùm etenim non à nobis ipsis, sed per Dei gratiã mereamur operibus bonis; rectè dici potest, quod opera nostra, vt ab indignis nobis proficiscuntur, sint preces, vt à diuina gratia, sint merita. sicut enim pauper diuitem precatur, non modò, quando verbis eleemosynam petit, sed etiam quoties vel sermone, vel officio, eius fauorem ambit: dum laudat, dum calumnias repellit, dum ei obsequium præstat: (his quippe in eius se amicitiam & gratiam insinuat) Ita nos Deum precamur, quoties eius honorem mente, ore, opere promouemus. Vt autem sint veræ preces, ex corde proficiscantur necesse est, ne audiamus à Deo: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longè est à me. Labiis solis honorat adulator, & solis externis cerimoniis colit hypocrita. Nam sicut nobis nihil est salutare sine Deo, qui solus animæ desiderium satiat: ita nihil acceptum est Deo sine corde nostro, in quo solo sibi complacet, & dicit: Præbe fili cor tuum mihi.

Esa. 29. *Mat. 15.* *D. Aug.* *Prou. 23*

Sint igitur omnes actiones nostræ preces, simulq. cũ B. Ioanne Baptista vox clamantis in deserto, vt siue mãducamus, siue bibimus, siue aliud quid facimus in verbo, aut in opere, omnia in gloriam Dei faciamus: atq. ita semper, & sine intermissione,

Ioan. 1. *1. Co. 10* *Coloss. 3*

iuxta Christi Domini, & Apostoli admonitionem, orabimus, quando nimirum sine voce, piis officijs, mendicorum instar, quasi manus ad eleemosynam Deo attollemus. vere magna est felicitas tua, Christiane, cuius singulæ actiones, singulis momentis temporum queant orare, atque mereri. Quemadmodum enim mercenarius, qui operam suam locauit, nihil sine mercede facit: ita Christianus quæcunque ad Dei gloriam refert, in lucris habere debet: nam & corporis refectio, & animi relaxatio, & somnus, & lusus, & quies precantur, atque promerentur. Has omnes preces si Christus per Matrem sumat, & in futurum æuũ nobis in cælis asseruet, Deus bone, quantus aceruus felicitatis, & quantum gloriæ pondus cumulabitur?

Hac breui oratiuncula Virgini Matri actiones precesque omnes nostras commẽdemus, & quasi clausula terminemus: Sumat per te preces: hoc est. Domina nostra, precatus sum filium tuum; conatus sum aliquid cum virtute & laude operari, sumat per te preces. Tu promoue quod rogaui, sumat de manibus tuis à te purgatas, & cõmẽdatas, qui fortè ad impuras preces meas à me oblatas nauseans vultum auertet. Sumat ergo per te preces, cuius apud ipsum

est magna auctoritas: quam semper exaudit & suscipit pro tua reuerentia.

Qui pro nobis natus,

Tulit esse tuus. Hoc est, qui cōsensit atque dignatus est filius esse tuus, vt carne de te sumpta, nostram salutē nobis recuperaret. Duo planè sunt quæ ad hominem peccatorem de salute anxium, & pondere numeroque flagitiorum suorum oppressum releuandum non exiguam vim habent. primum est in Christi Dei nostri meritis infinitis, quæ nobis communia fecit, vtque illis tāquam nostris vtamur, larga manu dedit. Meæ sunt enim Christi vigiliæ, orationes, ieiunia, labores: mea est eius passio, sanguinis effusio, cruciatus, tormenta: meæ sunt eius ignominiæ, opprobria, extrema paupertas: mea est denique mors eius & vita. Quia puer natus est nobis, & filius datus est nobis, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Quamobrem in mortis hora, si mihi merita mea desint, si ieiuniis non expiauerim intemperantiam gulæ, si corporis pœnis non curauerim libidines, si aliis operibus non satisfecerim peccatis, in promptu sunt merita Christi, pro singulis peccatis satisfactiones & pœnæ: vt neq. animū abiicere debeam, quantacunque peccatorum mole premar, neq. de so-

Isaia 9.
Gal. 2.

de solutione desperare, quotcunque debitis grauer, neque de Dei misericordia diffidere, quantumuis conscientia diuinam irá formidet. Ditissimus sum.n. diuitiis sponsi mei, qui mecum initis nuptiis, communi matrimonii lege, debita mea in se suscepta, suis opibus redimet. Alterum est intercessio Virginis Matris. licet enim mea sint merita Christi, quæ pro peccatis meis offeram Deo Patri: potest tamen illa pro me iustis ex causis recusare Deus, nec illa pro me admittere: vel quòd impuris manibus offerantur, vel quòd indignus sim cui applicentur. Tametsi enim peccatorum omnium persolutum sit precium, non tamen pro quolibet, simulatque vel fide apprehendit, vel voce precatur, vel opere quid agit, à Deo suscipitur. Sunt varij nobis eius applicandi modi. Ad varios effectus atque necessitates sunt adeunda sacramenta: virtutum officijs est insistendum: orationibus est inuigilandum: sed præ cæteris magnam ad impetrandum vim habet intercessio Matris Dei. quando igitur in vltimo illo cum morte certamine mihi videro & merita deesse, & vires corporis non sufficere laboribus illa comparandi: ad Christi sponsi mei merita confugiam: quæ vt pro me à filio suscipiantur, matris aucto-

auctoritatē interponam. Merita mea sunt, filius matri nihil negabit. His duobus ergo securus, non timebo gehennam, sed in spem erigar vitæ æternæ.

Natus tulit esse tuus. Cæterum, quia summa est huius Virginis in cœlo maiestas, cui subiectum est, & ad nutum paret, quicquid non est Deus, vereri posset indignitas nostra ad tantam Dei Matris, cælorumq. Reginæ dignitatem accedere, nisi nobis audaciam animumque adderet, quod pro nobis Filius Dei sit factus Virginis filius. nisi enim ego, hoc est, humanum genus peccasset, nunquam Virgo hæc ad tantam gloriam Matris Dei, orbisque Patronæ esset euecta. Mea culpa Deum meruit redemptorem, effecitque Virginem Dei genitricem. Tametsi ergo neque propriè & simpliciter, neque sponte mea at certè, obliquè atque impropriè, & ex occasione sum Virgini causa tantæ dignitatis: ad quam sine me non ascenderet; neque tanta apud Deum auctoritate valeret.

Et quia per me, hoc est, occasione mei, facta est mater Dei, vtique etiam pro me dignitatē obtinuit matris Dei vt, sicut Filius Dei datus est mihi in pretiū: ita mater Dei data sit mihi in solatium; cuius munus planè sit, filium mihi dare, eius merita impe-

impetrare, eius satisfactionem & pœnas meis vulneribus atque peccatis applicare.

Adibo igitur magna fiducia, & dicam; Memento, Virgo mater, quòd sine me Dei mater non esses: per me & propter me hũc dignitatis gradum ascendisti: vtque ego per te ad Christum peruenirem, mediatrix interposita fuisti. Licet ergo peccatorũ meorum fœditas & multitudo tuam maiestatem reuereatur, & pertimescat: quia tamen officium tuum poscit, vt me manu ducas ad filium, sumpta audacia, ad tuam misericordiam confugio, tuamque opem imploro. Monstra te esse matrem, & qui per te mihi natus est, & datus redemptor, per te me suscipiat, plenèque redimat, & omnibus augeat bonis.

VERSVS.

Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos,
Mites fac & castos.

Hoc versu exponitur quod in primo dictum est: *Atque semper virgo.*

VIRGO. *Virgo singularis.* Mater Dei indicat officium mediatricis, quo Domina nostra & apud filium valet auctoritate, vt impetret

tret postulata, & nobis prębet ad se accedẽdi fiduciã; cui ex officio incumbit, hominũ preces suscipere. Virginis autem nomen admirabilem designat puritatem, quæ etiã præter dignitatem Matris, aditum ei patefacit ad Deum; & amabilem redolet suauitatem, qua se nobis facilem exhibet. Cum enim audis Virginem, nihil cogitas asperũ, iracundum, morosum: sed, vt ait Apostolus, quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iusta, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ. Igitur Virgo significat virtutem Deo hominibusque gratam: Mater Dei dignitatem virtuti donatã. vt Virgo indicet gratiam gratam facientem: Mater gratiam gratis datam, & collatam virginitati. Duo sunt præcipui honoris tituli, quibus Ecclesia Dominam nostram veneratur: nempe sancta Dei Genitrix, & sancta Virgo Virginum: Mater Dei, & Virgo, & quidem iure optimo, quia sola quidem est Dei marer, prima verò virginitatem ex professo votoque coluit. ipsa virginitatis gemmam inuenit, mundoque exhibuit. Igitur & virginitas à tanta talique inuentrice commendanda est, & inuentrix, a tam nobili thesauro nobis exhibito diligenda.

Philip. 4

Luc. 1

D. Amb in cap. Lucę.

genda : neque est facilè prostituenda virginitas, qua tanquam præ cipuo titulo Dei mater gloriatur, & per Antonomasiam Virginis nomine sic compellatur, vt qui Beatam Virginem nominat, statim de Christi matre loqui intelligatur. Est quippe prima Virgo: est præstantissima virgo, est virginum omnium Regina: vt rectè Virgo virginum salutetur. vt enim fuerint in veteri lege nonnullæ virgines, & quidam celibes: nemo tamen virginitatem legitur voto confirmasse. Nam nouo testamento debebatur quod de Eunuchis prędixit Isaias: vt haberent nomen melius à filiis & filia-
Esaia 56 bus in domo Dei. & sicut Christus est virtutum omnium exemplar & origo; sic voluit virginitatem primò in matre sua consecrari, cuius imitatione deinceps multi virginitatem sectarentur. Nam sicut virginitas hanc virginem euexit in matrem Dei, quæ & Deo fuit coniunctissima, & diuinorum secretorum peritissima: Ita sanctarum castarumque virginum hæc sunt prę cæteris priuilegia, vt ad Deum proxime accedant; & capaciores reddantur di-
Mat 5. uinæ sapientię, iuxta illud: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Ioan-
Ioan. 13 nes Apostolus virgo recumbens in pe-
& 21. ctus Domini, sublimiùs penetrauit san-
ctissimę

ctiſſimę Trinitatis myſteria. Et B. Apoſtolus Paulus ſimiliter virgo in tertium cælum aſſumptus, iis auditis & viſis quæ non licet homini loqui, pluribus, quam cęteri, epiſtolis, & diuinioribus documentis, Eccleſiam, fidemque Christianam illuſtrauit. *1. Cor. 9* *2. Cor. 12.*

SINGVLARIS.

Eſt porrò Domina noſtra Virgo ſingularis: non vti plerosque vocamus ſingulares, qui vel ſe aliorum moribus accommodare nolunt; vel communibus legibus viuere recuſant, vel ſe cæteris præferunt, nimiumque ſibi arrogant; & cum Phariſæo euangelico dicunt: Non ſum ſicut cæteri homines. *Luc. 18.* Sanctiſſima namque Virgo noſtra ſeſe omnia exhibebat omnibus; vt omnes lucrifaceret: omnibus ſe demittebat; communes leges obſeruabat; nihil ſibi peculiare deſiderabat. Eſt ergo Virgo ſingularis tribus ex cauſis. *Tres rationes quare uirgo ſingularis dicatur. 1.* Prima eſt, propter admirabilem puritatem, qua non ſolum homines, ſed ipſos quoque Angelos vicit, nunquam vel ſenſum habuit, nedum oblectationem, vel conſenſum peccati. Ab omni peccato originali præſeruata, nullum vnquam paſſa eſt motum vel à ratione vel ab omni perfectione alienum, concepta in iuſtitia & copioſa gratia Dei, ſola dicere potuit: Ego ſine iniquitatibus in

iustitia concepta sum; & sine peccato in gratia concepit me mater mea. Tanta in hac Virgine fuit gratiæ claritas, vt nullo vnquam tempore propiùs ad eam dæmones accesserint; neque conscij esse potuerint virginitatis èius, qua Dei filium, sine viri consortio, concepit; & sine dolore inuiolataque virginitate peperit: Neque impuras cogitationes, aut vllas tentationes menti eius suggerere; neque demum eam per se quauis ratione infestare. Accessit igitur Virgo hæc ad culmen, & perfectionem non modò castitatis, sed omnium virtutum, quod nulli hominum in ista vita concessum fuit. Nam & ipsi Apostoli senserunt in membris suis legem repugnanten legi mentis suæ: & nemo sanctorum dicere potuit, Mundus sum à sorde.

Angeli quidem sunt virgines, qui ne nubunt, neque nubuntur; sed longè supe rantur ab hac virgine: quòd illi sine corp re inhabiles sint, nec capaces voluptatis ista in corpore omnem prorsus superaue rit prostraueritque voluptatem; sicut il lius est magis laudanda fortitudo, qui p medios hostes illæsus, hostesque hinc ind prosternens aciem perrumpit, quàm q eo loco se continet, vbi hostem non exp ritur. Et licet virginem nunquam propi

aggressi

aggressi sint dæmones; non ex eo tamen minor est eius virtus: quia ille magis à fortitudine commendatur, ad cuius nomen & famam hostes eminus diffugiunt, quàm ille quem cominus inuadere non pertimescunt. Lumen solis clarissimum est; quia procul fugat noctuas, quas propiùs admittit lumen lucernæ.

Secunda causa est, quia ad hanc virginitatem accesserunt admiranda, quæ humana mens capere nequeat: Virgo siquidem ista est mater, quæ Patrem suum & Creatorem genuit; quem inuiolata concepit; sine fastidio gestauit; sine dolore peperit; manens Virgo lactauit. hanc singularem eminentiam atque prærogatiuam Virginis admirati prophetę olim prædixerunt, ipseq. Deus varijs miraculis præsignificauit. Rubus enim, quem vidit Moyses ardentem & incombustum, adumbrauit hanc virginem Deo nostro, qui est ignis consumens, plenam, & tamen inuiolatam. Virga Aaron sine terræ succo florens, eandem demonstrauit sine opera viri parientem: & vellus Gedeonis sine strepitu madidum rore, eandem secreto Spiritus sancti interuētu cælesti prole grauidam. Denique porta orientalis semper clausa, per quam apud Ezechielem Dominus exercituum ingres- *Exod. 3.* *Num. 17* *Iud. 6.* *Ezec. 44*

sus est in templum, de virgine intelligenda est, per quam Deus ipse in Ecclesiam hanc suam intrauit.

5 Tertia causa est, quia nunc in cælis su[i] filio singulari gloria fulget. Duo Virgine[s] supra omnes sanctos eminent, qui vniue[r]sam creaturam moderantur; IESV[S] Virgo, filius Virginis; MARIA Virgo mater Virginis. Sicut enim in human[o] corpore vnicum est caput, & vnicum co[l]lum, cæteris altiora membris, quæ su[b] his deinde vtrimque gemina sunt, vt du[o] brachia, duæ manus, duo latera, femora tibię, pedes; Ita in cælis Christus Dom[i]nus ad Patris dexteram constitutus sup[er]
Ephes. 1. omnem principatum, & potestatem, & v[ir]tutem, & dominationem, & super om[ne] nomen quod nominatur, non solum in h[oc] sæculo, sed etiam in futuro, Matrem sua[m] sibi proximam adesse voluit, quæ est exa[l]tata supra choros Angelorum ad cælest[ia] regna. De ordine cæterorum sanctoru[m] nihil certi tradit Ecclesia. Certò autem c[o]gnoscimus, virginem hanc singularem, g[lo]ria splendere singulari; vt sicut hanc te[r]ram illustrant duo luminaria magna; S[ol] (inquam) & Luna: Ita cælum ipsum l[on]gè sit gloriosissimum gloria Christi, [&] Virginis.

Eia

Eia igitur, Domina nostra, quæ singularis & pura es Virgo, quæ concepta sine peccato, concepisti IESVM sine macula; quæ peperisti Creatorem Redemptoremque mundi; quæ nec primam similem visa es, nec habere sequentem; quæ locum obtines in domo Dei, & in muris eius sublimiorem, nomenque melius à filiis & filiabus, vtpote quę assistis à dexteris Salomonis Regis pacifici, in vestitu deaurato circumamicta varietatibus; Obsecro, vt quæ de sublimi solio maiestatis tuæ sub te magna voluptate contemplaris gloriam sanctorũ omnium Ciuium cælestis Hierusalem; oculis quoque misericordiæ hanc Ecclesiam filii tui respicere digneris: & afflicti populi, clientulorum, seruorumque tuorum misereri. Virginem decet benignitas & misericordia: Te igitur Virginem singularem decet singularis misericordia. Aspice etiam me inter cæteros famulum tuis laudibus consecratũ; meque de cælis clementer intuens, fauoreque tuo dirigens ad ineffabilem gloriam tuam contemplandam, admirandam, laudandam perducas.

Esaiæ. *56.* *Psal. 44.*

Inter omnes mitis. Duas pręcipuè virtutes vt à se disceremus cõmendauit nobis Christus, humilitatem & mansuetudinem: Discite (inquit) à me quia mitis sum, & humilis

INTER OMNES

Matt. 11

humilis corde. Illam agnouit in se Virgo
Luca 1. Beatissima, cùm diceret: Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. hanc de ea prædicat, & in ea experitur Ecclesia. cùm enim totis triginta annis Christo filio suo Præceptori, ipsi soli vacanti, operam daret; illis sanè virtutibus præcipuè studuit, quas præter cæteras Præceptor maximè commendabat.

Moyses internuncius & mediator legis antiquæ, quæ ob continuas minas, lex iræ & mortis, iure appellata est, omnium fuit hominum mitissimus: quantò igitur magis conuenit mitem esse illam, per quam
Num. 12 lex mansuetudinis, misericordiæ, & caritatis ad nos peruenit? præsertim quòd sexum femineum, & statum Virginis magis deceat & exornet omnis suauitas & mansuetudo, quàm virum tanti exercitus Ducem. Scriptura equidem frequenter in
Cant. 6. Canticis eam appellat columbam, & quidem vnam columbam perfectam, ob insignem, qua cæteris præcellit, mansuetudinem. Christus enim agnus mansuetissimus matrem habere debuit columbam mitissimam. At verò considerandum nobis est,
Apoc. 5. Christum in Apocalypsi Ioannis apparuisse quidem agnum; vocari tamen leonem; Ecce (inquit) vicit Leo de tribu Iuda. Et:
Vidi,

Vidi, & ecce in medio throni, & quatuor animalium, & in medio seniorum, agnum ſtantem, tanquam occiſum. Etſi enim manſuetiſſimus eſt Dominus illis, qui recto ſunt corde: eſt tamen terribilis illis qui manſuetudinem aſpernantur. Ita Virgo ſacratiſſima eſt mitis illa columba, quæ ramo Oliuæ finem diluuij, diuinamque iram placatam nunciauit: attamen ab ira quoq. & gladio columbæ monemur reuerti ad populum noſtrum, vt ſemper nobis propitiam habeamus mitiſſimam Virginem; cuius indignatio grauis eſt, & pertimeſcenda, quam etiam velut caſtrorum aciem bene ordinatam ipſi Principes mundi huius iuſtiſſimè verentur. Solet quidem nō tam Virgo ſuas, quàm Filius matris iniurias vindicare, & pro officio boni filii honorem matris tueri. ex hiſtorijs tamen cōſtat ſanctam Virginem illos quidem, quos ſuauitate viderat non iuuari, grauibus pœnis & ſupplicijs ad mentem reuocaſſe; illos verò quos iam nouerat obduruiſſe in vitijs, vltrò apud Filium accuſaſſe. Nota eſt blaſphemi illius Gaiani mimi hiſtoria, qui trina admonitione Virginis cùm à blaſphemijs in Dei matrem os impium non cohiberet; poſtea reſectis manibus & pedibus inutilus pœnitentia peccatorum ſuorum

Gen 8.

Hier. 25 46.

Vide Limonariũ Sophronij cap. 47.

Lib. 18. cap. 33. ductus est. Simile quid refert Nicephorus de hospite qui ad ebriosorum domi suæ in Beatissimam Virginem contumelias conniuebat.

Hartuuici quoque Archiepiscopi Magdeburgensis, qui alio nomine dictus est Vdo, mors fuit terribilis. Is enim cùm Deiparæ Virginis ope, insigni doctrina ornatus, ad Archiepiscopatum euasisset, quem impurissima vita aliquamdiu administrauit; tertiò admonitus voce cælesti, cùm impietati modum non poneret, Virginis rogatu, media nocte in Ecclesia Beati Mauritii, iubente Christo, capite truncatus est anno 1101. Est igitur inter omnes homines mitissima Virgo; sed bonæ voluntatis hominibus, clientibus suis, & peccatoribus omnibus ad se confugientibus.

Nauclerus generatione 32. Tritthemius chronico Hirsaugiensi in abbate 13. anno 10.

MITIS

Mansuetudinem Beatæ Virginis tacitè nobis indicant sacræ litteræ, dum, quoties persecutionum meminerunt, nullam fa ciunt querelarum mentionem; sed perfectæ obedientiæ, insignis resignationis, sibi constantis animi, quietæ meditationis, hoc sonant illa verba: MARIA autem conseruabat omnia verba hæc in cordo suo. Stabat iuxta crucē IESV mater. Tuam ipsius animam pertransibit gladius. & quod Iosepho sponso tot in itineribus, tam montosis,

Luca. 1. Ioan. 19 Luca. 2.

tosis, & difficilibus, tum prægnans, tum post partum ex vlnis infantulum gestans aliisque omnibus in rebus ad nutum paruetit: denique quod fratres DOMINI, quos non ignorabat infidelitate & ambitione laborare, Christo filio instituendos adduxerit. Christiani autem innumeris argumentis Virginis mansuetudinem contestantur; cuius singula in humanum genus beneficia eius mitem benignitatem loquuntur, pleni sunt historiarum libri. quod nullus sit fere in orbe terrarũ angulus expers mansuetudinis eius. A multis infidelibus, & impijs Christianis, iniurias & blasphemias mansuetè tolerat; blasphemis ipsis operam suam, auxiliumque præbet mutandæ vitæ, agendæq. pœnitentiæ; rogata facilè remittit noxas; à filio omnium peccatorum condonationem impetrat. Theophilus huius rei testis esse potest, qui abiurata religione Christiana, initoque cum dæmonibus fœde- re, tandem ad mentem reuersus, Virginis matris ope, a Christo veniam tanti flagitij obtinuit. Neque facilè inuenias quempiam Virginis Mariæ serium deuotumque cultorem, qui etiam post lapsum in grauiora delicta, tandem non ad pœnitentiam reuocatus, ex hac vita piè demigrarit.

Ioan. 7. *Mat. 12*

Metaph. ad 4. Feb. ex Eutychiano Theophili ministro.

Huic tantæ mansuetudini Virginis causam

ſam præbet eximia eius humilitas, & ardentiſſima caritas. ſicut enim æmulationis, inuidiæ, iracundiæ mater eſt ſuperbia; cùm inter ſuperbos (vt affirmat Sapiens)
Prou.13 ſemper ſint iurgia: ita manſuetudinis modeſtiæque mater eſt humilis charitas, quæ
1.Co.13 non æmulatur, non inflatur, non irritatur, non cogitat malum, quæ patiens eſt & benigna, quæ omnia ſuffert, & omnia ſuſtinet. Ex his enim virtutibus admirabilis pax naſcitur in corde humano, iuxta verbum Do
Mat.11 mini: Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris: quam pacem non patitur ſibi humilis manſuetuſque eripi, neque vlla perturbatione animum permoueri; ſed præcludit omni inquietudini aditum, externaſque omnes moleſtias ſemouens atque excludens, tanquam ad ſe nihil pertinerent, ipſe quiete animi oblectatur, & corde pacato omnibus malis ſuperior eſt. Ex hac manſuetudine deinde omnes reliquæ virtutes in homine virtutum ſtudioſo facilè
Pro 13. conſequuntur: quia manſuetis dat Dominus gratiam. Sicut ergo MARIA fuit olim in hoc mundo, & etiam nunc eſt in cælis Virgo inter omnes mitis, ſeu potiùs ſuper omnes homines mitiſſima: ita cæteris omnibus virtutibus eſt ornatiſſima, &

cumulatè perfecta; vt similem creaturam tot charismatibus plenam, tot donis insignem, tot virtutibus illustrem, orbis vniuersus neque in cælis viderit, nec in terris esse fateatur.

Mitibus libenter conuiuunt homines; vnde est illud: Mansueti autē hæreditabunt terram; quia se norunt omnium accommodare ingenijs, & cum beato Apostolo omnibus effici omnia. Virginem MARIAM (vt auctor est dilectissimi Apostoli Ioānis, cui Virginem Matrem Christus de cruce commendauit, discipulus Ignatius) priusquam ex hac vita migraret, ob placidos mores omnes desiderabant; eiusque vt vel solo colloquio fruerentur, vel mansuetissimum vultum contemplarentur, multi longissimum iter gaudenti & libenti animo conficiebant. at nunc in cælos profecta mitis MARIA, vt oculis auribusque corporeis suauitatem suam non exhibeat; illos tamen qui se familiariter vtuntur, mira perfundit & afficit dulcedine mentis. Hoc experiuntur qui reuerenter hanc Virginem diligunt, qui eius tuentur honorem; qui eius cultum venerationemque propagant, qui nullum diem prelabi patiuntur, quo non aliquod officium pium in eius laudem perficiant; qui attentè

Psal. 36.

1. Cor. 9.

Epist. ad B. Ioan.

attente de ea meditantur, denique qui se totos Virgini consecrarunt. hi enim quoties cum MARIA loquuntur, eiusque vitam aut gloriam contemplantur, suauiter respondentem audiunt, cuius responsio ex mentis quadam dulcedine, & salutariter gestiente lætitia, qua suos Virgo irrorat, intelligitur. si namque mitis est & benigna peccantibus: (quorum precibus placata iratum filium reconciliat) longè profectò suauior est eam diligentibus & colentibus: quorum volũtatem faciet: deprecationem exaudiet; & in futura vita omne desideriũ perficiet. Veri igitur MARIAE cultores, qui eius consuetudine tantam suauitatem gustant, perinde se habent atque viatores, qui multi itineris labore exhausti, ad hospitium diuertũt, viresque nõnulla quiete, ciboque reficiunt. Ita enim illi, priusquam se negotiis externis dedant, Virgini eadem commendant; eam in ipsis mediis occupationibus breuiter eleuata mente frequẽter inuocant. At in varias sæpe partes distracti, vt animum seque colligant, viresque animi reparent; ad eius recurrunt colloquium, & contemplationem quæ magnã vim habet ad mentem foris euagantem, negotiisque turbatam suauiter reuocandã, & sedandam. Hoc loco nobis additur magna

gna fiducia adeundæ rogandæque MARIAE. cũ enim mitiſſima ſit, repulſam nõ patiemur: & quia tota amabilis eſt, ac ſuauis, nihil antiquorum peccatorum exprobrabit. Scit filium ſuum, quem Petrus Apoſtolus tam fędè negauerat, ſic prorſus omnè illud peccatum diſcipuli pœnitentia aboleuiſſe, vt nunquam eius mentionem fecerit. O igitur Virgo ſingularis, inter omnes mitis, fac obſecro, vt huius tuæ manſuetudinis non ſimus expertes. Tu magna manſuetudine peccatoribus inducias a Filio impetras. Tu hæretici, vt ab erroribus ad Eccleſiam redeant, mitiſſimè vitã prorogari facis; variisque nũc proſperitatibus; & lenitate; nunc aduerſitatibus & minis filii tui miſericordiam & iram oſtentas. Atque, vt decet humani generis manſuetam patronam, tu nullis peccatis noſtris deterrita, Dei iram continenter auertis à nobis. Rogo te, mitiſſima Domina, vt me manſuetis oculis tuis contueri digneris: vt tuis laudibus deditum benignè foueas: vt ſeruientem nomini tuo, tuumque honorem propagantem clementer promoueas: vt ab officio pii viri recedentem manſuetè corripias: vt ab itinere cæleſtis Patriæ aberrantem piè reducas: denique vt egredientem ex hoc corporis ergaſtulo animã meã

prima

prima suscipias. O Beatum me, si te mitissimam Virginem mihi liceat in hora mortis præsentem videre; tuo frui solatio; in amplexus tuos ruere; tuisque manibus auxiliariis conseruari, nihil enim tunc me terrebunt minæ conscientię, non affligent peccata, non nocebunt dæmones. Ego igitur, dum viuam, tuis laudibus studebo; ad te multos clientes adducam; me totum in obsequia tua effundam. Tu me in exitu vitæ à tuis laudibus reuertentem clementer suscipe: & cuius vniuersa vita tibi consecrata fuit, non patiaris mortem à te esse alienam. Ego quasi in tuis brachiis suauiter conquiescens viuere studebo: tu fac vt in vlnis tuis moriar.

Nos culpis solutos. Tria petimus, iuxta tria Mariæ tributa. A Virgine, castitatem; à singulari, culparum solutionem; à miti, mansuetudinem. Siquidem Virgo singularis eam designat Virginem quæ nulla prorsus sorde, ne peccati quidem originalis, maculata vnquam fuit. Non enim decebat Matrem Dei vel leuissimo diaboli vinculo constrictam fuisse, obnoxiamque peccato.

NOS. Dedecet etiam nos Christianos culparũ vinculis constringi: quos vt Christus in veram libertatem assereret, ipsemet manu vinciri funibus, columnę loris alligari

Cruci

Cruci clauis affigi voluit; nimirum vt sine timore de manu inimicorum nostrorum li- *Luc. 1.*
berati, seruiamus illi in sanctitate & iusti-
tia. Sicut igitur fœdum est, & prorsus indi-
gnum, vt filius Regis ligetur: ita multo mi
nus decens est nos ligari, qui filii Dei su-
mus; quorũ vincula in se Deus ipse susce-
pit: quod mallet ipsemet funibus, quam
animas nostras culparum vinculis fędari.
Agnosce Christiane dignitatem tuam; Ani
ma tua Dei imaginem refert; ornata est
sanguine Christi; adoptata est in filiam Dei;
assumpta est in sponsam Filii Dei. Tu il-
lam non permittas vinciri culpis, quam
sponsus liberauit vinculis, & sibi matrimo-
nio coniunxit. Quia tali te donauit liber-
tate, vt apprehendi; & culpis ligari, nisi
volens, nulla ratione possis. Si igitur reuer
sus ex regione longinqua, videat te in dæ-
monis potestatem venisse, sponteque vin-
cula subiisse, quid dicet? Tu verò quid re-
spondebis illi? nonne vincula augebit; mã
dabitque, vt ligatis manibus, & pedibus, *Mat. 22.*
proiiciaris in tenebras exteriores?

Si porrò in Ecclesia Dei vel altiorem
Sacerdotii aut dignitatis alicuius gradum
tenes, vel in schola religionis arctioribus
vinculis charitatis es cum Christo coniun- *Cor. 2.*
ctus, & in cellã vinariam ad secretiora per-

fectionis consilia introductus; ne dubites fœdiora tibi esse culparum vincula, & molestiorem Christo sponso tuam seruitutē. Qui enim altiùs sedes, vt humiles erigas, & captiuos seruitute liberes; non debes committere, vt ipse ligeris. nam quis vinctos dissoluet, si ipsemet sacerdos, cuius est soluere, constrictus teneatur? Plus sanè, incitantur subditi ad lapsum, superioris peccatis, quàm erigantur verbis. Et religiosi, quos Christus tanquam nobile peculium suum in religionem velut in arcam, instar pretiosissimi thesauri, ne in hostium manus venirent, recondidit; si vitio suo hostes admittant: seseque culpis ligandos offerant; quam excusationem vinculorum prætexent?

Eia igitur, Virgo singularis, hac nostra dignitate mota, fac nos his vinculis liberes: Filii enim sumus Dei, & tui; sponsa Christi nobilissimis sanguinis Christi monilibus ornatæ: non est æquum vt nobiles istæ gemmę animarum nostrarum ita fœdè tractentur: & quæ tanto labore & sanguine steterunt vnigenito Filio Dei, tam temerè impurissimis hostibus obiiciantur. Solue igitur nos clientes tuos, deuotos tuos, famulos tuos; vt libera tibi in posterum mente feruiamus.

Vincula

Vincula quibus nos peccatores ligamur, sunt culpæ, hoc est, peccata omnibus totius orbis vinculis fędiora, arctiora, fortiora, grauiora, molestiora. Peccatum nam que simul atque ab homine patratur, omnẽ aufert ab anima pulchritudinem gratiæ: tollit à Dei imagine Dei similitudinem; inducit speciem & similitudinem diaboli. Cum enim solo peccato diabolus sit fędus, quisquis admittit peccatum, est instar diaboli fædus, eo dem nimirum quo ipse colore depictus, hoc solo discrimine, quod iste fœditatem pænitentia abluere possit: diabolus non possit. Hanc fæditatem si peccator sensibus perciperet, abominaretur se, & esset sibimetipsi grauis nam sicut in dæmone nihil est nõ detestabile: ita in peccatore omnia sunt fæda. B. Catharina Senensis eminus peccatorũ odorem teterrimũ atque imolerabilẽ sentiebat. Alii peccatores instar dæmonum deformes aliquando viderũt. Quicquid autem instinctu peccati vel agunt, vel loquuntur, vel mente tractant, illud omne detestatur Deus, sanctique omnes; qui animam hominis clarius intuentur: & hæc animæ fæditas in corpus ipsum non raro redundat, dum quodlibet peccatũ suam affert corpori deformitatem. Superbus elata ceruice prodit superbiam. Auarus solicitudine

CVLPIS.
Isa. 5.
D. Hiero. lib. 2. cõmẽt. in c. 5. Isa.
Fœditas peccati.

tudine & anxietate semper metuit. Inuidus tristitia consumitur. Iracundus iram tumido vultu, & oculis ardentibus spirat. Ebriosus magis pecus quàm hominem refert. Denique homo apostata, seu homo gelial, hoc est, homo impius, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, &c. Et hæc de vinculorum fæditate. Nam sicut corpus monilibus, auro, gemmisque fulget; ferro autem, manicis, compedibus & catenis deformatur: ita anima fulget gratia Dei; fædatur peccato; maculatur culpa.

Prou. 6.

Arcta vincula, Iam verò quàm arcta sint culparum vincula, hinc intelligi potest, quòd corporis quidem vincula foris ligent membra, vincula autem peccatorum intus animam ipsam, eiusque vires stringant. Vt enim Dei gratia in animæ essentia totum hominem restituit libertati, & filium Deo gratissimum facit: ita peccatum totum hominem vincit & Deo reddit exosum: quia odio sunt Deo impius, & impietas eius, sicut igitur arctius ligatur, quod clauis est perforatum & ligno affixum, quàm quod foris est solo fune connexum, ita anima, cuius intima omnia penetrarunt culparum vincula, est arctius constricta, siquidem culpæ sic omnes hominis potentias & actiones detinent

Sap. 14. *Eccli. 12* *D. Basil. in 5. ca. Esaiæ.*

nent

nent & deuinciunt, vt nulla quidquam ad æternam salutem valeat, priusquam vincula hæc per Dei gratiam disrumpātur.

Fortissima sunt vincula quibus miser peccator ad nutum diaboli huc illucque impellitur (quia qui facit peccatum, seruus est peccati) & iis liberari nulla sua vi aut industria potest. Duriora sunt adamante, & ferro firmiora; quæ non in hoc aere, aut in hac terra solùm; sed in ipsis quoque acerrimis inferni ignibus, tam spiritus dæmoniorum, quàm hominum damnatorum animas, & corpora in omni æternitate ligant. Cæterùm vt ferrum igne mollescit, & adamas sanguine hirci; ita peccatum sola caritate, & sanguine Christi tollitur. *Fortia.* *Ioan. 8.*

Grauissima sunt, quæ pondere suo ad ima premunt; aliaque inducunt peccata; & demum, vt talentum plumbi, & lapis molaris, in gehennam demergunt. Christus, qui in passione sua peccatoris sustinuit personam, vt grauitatem vinculorum nostrorum nobis ante oculos poneret; quò vlterius in passione sua progrediebatur, eò pluribus vinculis à singulis iudicibus grauabatur. nam in horto ligatus est, & mittit eum Annas ligatum ad Chaipham; hic autem ad Pilatum; Pilatus ad Herodem; *Grauia.* *D. Greg. hom. 13. in Euã.*

Herodes ligatum, & candida veste oneratum remisit ad Pilatum, hic demum etiam ligatum, & corona spinea grauatum ligneaque cruce oppressum amandauit in montem Caluariæ; vbi mollioribus funibus successerunt claui ferrei. Similiter peccatori augentur uincula, dum peccatum trahit peccatum: & sub durissimo exactore diabolo, culpa culpam impellit.

molesta. Denique sunt molestissima vincula, quæ nullam peccatori permittũt quietem quia

1.Tim.4 non est pax impiis, dicit Dominus, nihil subtilius anima, nihil conscientia tenerius nondum cauteriata, hoc est, quæ desperata nequitia nondum amisit vim sentiendi. Sicut ergo neruus qui acutissime sentit, molestissime fert omnem attactum, etiam re mollis; ita conscientia in sensu & onere peccati nunquam quiescit, quod pulchre Ethnicus Orator: Animi, inquit, conscientia improbi semper cruciantur; furiæ agitant & insectantur impios, non ardentibus tedis, sicut in fabulis, sed angore conscientię, fraudis cruciatu. improbo igitur nemini bene potest esse, nam graue pondus conscientia.

Considera hic hominum peccatorum miserabilem conditionem, qui, in tanta

servi-

seruitute, ne agnoſcunt quidem ſe vinculis culparum conſtrictos, aut ſi agnoſcant, de his ipſis ſuis vinculis, quorum pudore affici debuiſſent, quaſi de inſigni ornatu gloriantur & gaudent: Lętantur enim cum malè fecerint, & exultant in rebus peſſimis; verbis & actionibus produnt peccata ſua, miſera ſeruitute nati, vinculiſque culparum aſſueti; ignorant verę libertatis ſuauitatem; quæ tam copioſa eſt in filiis Dei, vt nullis incommodis, aut externis malis queat tolli vel obſcurari. Qui enim edomitis perturbationibus ſuis ſolidam nactus eſt quietem & libertatem, is nullis aduerſis commouetur. *Prou. 2.*

Culpæ ſunt duplices quibus homo tenetur: Quædam peccati mortalis, quę verè vinciunt, & in poteſtatem dæmonis hominem tradunt; à vero lumine in tenebras ducunt; & à Deo hominem prorſus uertunt; auferunt gratiam, gratiæque omites omnes virtutes Chriſtianas. Aliæ ſunt culpæ venialium quotidianorumque delictorum; quę vt gratiam non tollant, eramque libertatem non adimant; neque penitus à Deo abducant: imminuunt tamen feruorem charitatis; promptitudinem rectè agendi impediunt; nos Deo non omninò directos, ſed obliquos conſtituunt, à *Roma. 1. Eccli. 1.*

recto tramite cæleſtis patriæ ad diuerticula & anibages trahunt, animæq. pulchritudinem quaſi pulueribus aſpergunt, his omnibus vinculis niſi liberemur, fieri omnino nequit vt ad diuinæ naturæ contemplationem admittamur. Mundus quidem erat
Ioan. 13. Apoſtolus Petrus, quando audiuit à Domino: Si non lauero te, non habebis partem mecum: attamen quia nihil coinqui-
Apoc. 21 natum aut immundum intrabit in cæleſtem Hieruſalem; omnes omninò pulueres diſcutiendi ſunt, & minimi nęui abluendi abſtergendique.

SOLVTOS. Præ cæteris primò petendum eſt vt culpæ ſoluantur. prius enim reconciliandu[s] es amico, quàm ab eo amicitiæ dona poſtules, & prius expurgatur ſordibus domus, quàm veſtiatur aulęis. Solius porrò Dei eſt, & Chriſti eius, culparum vincula ſoluere. Quærebatur in cælo, in terra, ſub
Apoc. 5. terra, qui ſeptem ſignacula, hoc eſt; omnia peccata noſtra ſolueret, nemineque inuento, ecce Agnus apparuit, qui tollit pec-
Ioan. 1. cata mundi; ille ſoluit in hac vita; quia in Inferno nulla eſt redemptio; Agnus non vadit ad inferos, quorum carcerem æternis vectibus obſerauit. Extra Infernum ſoluendi ſunt quicunque ſoluuntur. facilis eſt in hoc mundo culparum ſolutio; cu-

ius

ius rei auctoritas atque potestas data est Presbyteris, quibus mandauit Dominus: Soluite & adducite mihi. Et, Quæcunque solueritis super terram, erunt soluta, & in cælo. Deus ergo per Sacramenta soluit culparum vincula; nostrum est soluta excutere; hoc est, per pœnitentiam satisfacere virtutum officiis, vitiorum prauos habitus euellere, omneque virtutis genus inserere: quò enim quisque remotior est à vitiis, & coniunctior virtutibus; tantò liberior est, & à vera seruitute securior. *Mat. 16.* *Mat. 21.* *Mat. 18.* *Ioan. 20.*

Quamobrem, o Virgo singularis, fac nos solutos culparum vinculis: impetra nobis peccatorum nostrorum detestationem, horrorem, dolorem. Adhuc pænitentes ad pedes sacerdotis, os nostrum aperi, ne præ verecundia obmutescat, & reticeat peccata, quæ aliàs impudenter iactauit; hostis insidias aliaque omnia remoue impedimenta salutis; suggere pia sacerdoti consilia, quibus me ad declinandas peccatorum occasiones muniat: dictis sacrosanctis absolutionis à Presbytero verbis, tu mihi Filium placidè reconcilia; vt omni deposita ira, etiam pœnam vniuersam condonet. Denique confirma me dulcedine tua; dæmonibusque ereptum inter tuos ascribe clientes; vitam meam dirige; omnes-

tum, hoc est, ad manum venire assuetum: Cui non sit nouum aduersa sustinere, esse que officium eius, perturbationem irę moderari, ne ab iracundia abripiatur: sed ira ex recta ratione vtatur, quo modo mitissimus Moyses lapideas tabulas, diuinis characteribus conscriptas, ad radicem montis confregit; vitulum aureum in puluerem redactum, aquæ, quam populo bibendam propinauit, immiscuit: & in vltionem adorati vituli triginta tria hominum millia vno die occidit. Quo etiam modo Christus, mitissimus agnus, facto de funiculis flagello, negotiantes e templo eiecit; nummulariorum mensas euertit: æs effudit, grauissimaque comminatione identidem Pharisæis ęternum væ comminatus, à durissimis verbis non abstinuit: Genimina, inquiens, viperarum, serpentes, hypocritæ, generatio praua & adultera. Exod. 32. Exod. 32 Ioan. 2.

Mitis tamen plus aliquid sonare videtur quàm mansuetus. Dicitur mite pelagus, hoc est, tranquillum, & mitia poma, hoc est, matura. Est igitur mitis homo lenis, maturus, sedatus, qui neque conuitiis mouetur, neque aduersis frangitur, neque prosperis extollitur, morum suauitate omnibus charus est. Quisquis porrò eiusmodi est, magnus est, insignique nobilitate præ-

ditus, quam nulla rusticitas morum commaculet, nulla plaga vulneret, nullum malum deiiciat. huius consuetudine gaudent socij, tanquam iucundi comitis, qui in itinere pro vehiculo esse dicitur. subditi in hoc superiore non secus atque in molli lecto quiescunt & volutantur Superiores sine molestia hunc subditum perinde ac mollissimam ceram tractant, atque ad nutum suum formant, & effingunt. Non igi-
Mat. 5. tur mirum, si mites possideant terram, qui & ab omnibus ad quæuis munia cæteris anteferuntur, & perturbationibus inordinatis liberi, summa pace fruuntur, & terræ viuentium expectant in futuro sæculo remunerationem.

Cæterùm, vt tantæ virtutis perfectioné assequaris non paucis virtutibus aliis, quibus velut per gradus ascendas & adminiculis vtaris, indiges. Vt enim conuiciis, obtrectationibus & iniuriis non mouearis, efficiet humilitas, per quam inspecta vilitate tua nihil te indignum sustinere censebis: Patientia moderabitur tristitiam quæ ex illatis malis suboriri solet: Mansuetudo iracundiam refrenabit, & Clementia pœnas mitigabit, quas pro iustitia cogeris sontibus inferre: Magnanimitas iudicabit honores, vituperationes, & opprobria huius

vitæ

vitæ, indigna, pro quibus summi honores, qui nos post hanc vitam manent, negligan tur; dæmonesque, & eorum membra homi nes improbos non tanti æstimabit, vt eo-rum hortatu vel machinis transuersum, vt aiunt, digitum à recto deflectas: Longani-mitas moderatè feret dilationem expecta ti boni: Perseuerantia non frãgetur mora, vt officium semel susceptum, quamuis dif-ficile molestumque, deserat: neque Con stantia quibusuis alijs impedimentis ab eo quod ęquum fuerit, deterrebitur. Denique homo mitis pius est in parentes, obseruans maiorum, ad nutum obtemperans supe rioribus, affabilis, comis, iucundus omni bus, gratus erga beneficos & bene meritos, liberalis in pauperes, sibi moderatus, in verbis actionibusque prudens, in Deum magna fiducia & charitate, in quo solo nititur, omniaque sua bona reposita ha bet.

Hęc omnia cùm sonet *Mitis*, difficilem sanè lectionem nobis pręscripsit Magister noster IESVS, quando mandauit vt à se disceremus, quia mitis est, & humilis corde. Multa ille quidem nobis auxilia de dit, atque adeò ipsum corpus nostrum, non asperum aut vnguibus, cornibus, aliisve id genus naturalibus armis (sicut FAC. *Mat.* 11

in brutis animalibus videre licet) munitum formauit; neque suauem odorem spirans (vt quarumdam bestiarum excrementa) sed lene, inerme, debile, infirmum, sordibus refertum; denique vas stercorum, vt mansuetudinis & humilitatis occasionem preberet. Sed ea est nobis à vitio innata peruersitas, vt neque mites neque continentes aut humiles esse possimus, nisi Deus dederit, singularique gratia animos nostros excitarit. Iubet igitur à se vt discamus; qui sic foris loquitur, vt mentem quoque informet, & inclinet, mutetque affectum. At verò quia causis secundariis vtitur Deus; & qui sine nobis nos creauit; sine nobis tamen & opera nostra nos non saluabit, aut iustificabit. Tria sunt necessaria vt aliquid assequamur vel externum, quod ad corpus pertineat, vel internum, quod promoueat spiritum: 1. Deus omnium bonorum largitor, 2. labor noster, 3. auxilia media aliorum. Deus vt donet orandus est: nobis vt assequamur non otiandum, sed adlaborandum est: subsidia aliorum imploranda: Et quidem ad inferendas cæteras virtutes opus est pugna, & acri certamine aduersus vitia. Castitas verò sola obtinetur fuga occasionum, & sordidarum cogitationum declinatione.

Auxilia

Auxilia ad virtutes adferunt magna homines qui precepta virtutum tradũt, quod Apostolus uocat plantare: & qui externis cohortationibus, exemplis, variisque modis ad excolendum semen quod plantatum fuerat inducunt, quod appellat rigare: Ego(inquit) plantaui, Apollo rigauit. sed hominum actiones omnes sunt foris, neque intus aliquid efficiunt, nisi ab auditoribus admittantur. At vero spiritus seu boni seu mali etiam intus aliquid in homine agunt, quando phantasię vel in somnis. vel in vigilia diuersas rerum species & cogitationes obiiciunt; & affectum inferiorem varie nonnunquam commouent. Vt enim penetrare nequeant ad sedem mentis; aut intellectus secreta peruestigare vel voluntatem inflectere: eos tamen appetitus qui sunt in corporis membris, vt concupiscibilem, cuius instrumentum est cor: & irascibilem, cuius sedes est in felle, subinde passionibus afficiunt. nam & incutiunt timorem, & addunt audaciam, & excitant fœdum amorem. Aliter igitur nos informant homines, aliter spiritus, aliter Deus. Homines mouent sensus externos, spiritus etiam internos, Deus solus mentem & voluntatem. Et cum tantillum faciat homo, ausus est tamen Apostolus dicere 1.Cor.3.

cere

1.Cor.4. cere Corinthijs: Ego vos per Euangelium
1.Tim.4. genui. Et ad Timotheum scribens: Hæc inquit, faciens, & teipsum saluum facies, & eos qui te audiunt. Non mirum ergo, si à Matre Dei nostri petamus vt nos mites & castos faciat: cùm creaturarum omnium potentiam & industriam maiestate sua & gloria vincat. Operatur igitur in nobis virtutes, per se vel per Angelos pia suggerendo, appetitus inferiores excitando, dæmones aliaque impedimenta remouendo, & vt voluntatem nostram ad recti amorem inclinet Filium rogando.

ET CASTOS. * Ho.13. in Euan. Beatus Gregorius * docet, bonum opus non esse aliquid sine castitate, sicut castitas non est magna sine bono opere. Quocirca precamur singularem mitissimamque Virginem, vt nos mites simul faciat & castos, nimirum vt nulli facultati animi sua desit virtus atque perfectio. Nam qui culpa solutus est, ornauit iustitia voluntatem, mitis fortitudine instruxit appetitum irascibilē. Vt enim mansuetudo pars potentialis temperantiæ in appetitu concupiscibili versetur: Mitis tamē, qui ad omnes casus etiam arduos æquabiliter se habet, fortitudine & magnanimitate atque constantia munitus esse debet; quæ ad appetitum irascibilem referuntur. Castitas demum, quæ est spe-

cies

cies temperantiæ, in concupiſcibili appetitu cernitur. Cæterùm quia caſtum dicitur, primò quidem pudicum, deinde honeſtū, vt caſta poeſis, tum ab alieno liberum, vt manus caſta, quæ furtum aut rapinas ignorat: præterea pium ac religioſum, vt caſti ſacerdotes; Obſecramus caſtiſſimam virginem, vt quæ omni ex parte caſta vixit, omne nobis tribuat genus caſtitatis. Virginitatem, ſi ea adhuc ſibi conſtet, ſeruemus inuiolatam; ſin minus, eam ſaltem ſectemur caſtitatis perfectionem, quam ſuſceptum à nobis vitæ genus requirit. Tum omni laſciuia morum, luxuque veſtium reiecto, honeſtatem méte, corpore, actione colamus; vitam piè religioſeque degamus; atque nullius creaturæ amore mentem inficiamus. Abſit igitur ab anima quidquid eam poſſit inquinare, libidinis fœditas, auaritiæ ſordes, ambitionis vanitas, iracundiæ rancor, inuidiæ amaritudo, cæteraque huiuſmodi, quibus animi candor, & pulchritudo violatur. Quamobrem obſecramus te, Virgo ſanctiſſima, caſtum nobis conſerua corpus, caſtamque animam; vt filio tuo ſponſo caſtiſſimo fidem inuiolatam ſeruemus: mentem perpurga, leuiga, atque ſubleua; ne quicquam illi terrenarum ſordium adhæreat, nos totos deſideriis erige in cælum: vt

præter DEum sanctissimum atque purissimum nihil expetamus. Denique vt DEO accepti, hominibus amabiles, interna pace fruamur; Nos culpis solutos, mites fac & castos.

VERSVS VI.

Vitam præsta puram,
Iter para tutum;
Vt videntes Iesum,
Semper collætemur.

Explicatur illud quod in primo versu dictum est: *Felix cæli porta.*

V*Itam præsta puram.* Vt profectionis laborem alacriter suscipias, opus est sanitate, vt sine metu ambules, tutum sit iter oportet: cæterum in portam cæli felicem vt admittaris, in illamque Regiam introducaris, in quam nihil intrat coinquinatum, aut immundum, summa adferenda est puritas, animique munditia. sicut enim à palatio Assueri Regis arcebatur quisquis cilicio & sacco indutus erat, & ad Regis conclaue multis diuturnisque vnguentis pigmentisque, & vario ornatus genere præparabantur virgines: si

Hester 4

omnem

omnem huius mundi pulchritudinem vincere debet anima quæ per cæli portam est ingressura in Regiam cæli. Tria igitur nobis in hoc mundo petimus: 1. vitam. 2. eam puram. 3. iter tutum.

Vita duplex est, animæ, & corporis. similiter & mors. nam & anima per peccatum vita sua priuatur, quæ dicitur mors prima: qua vidua deliciis affluens, viuens mortua scribitur. secunda mors, quando corpus simul cum anima periit, vel ab anima separatum expectans resurrectionem, ad mortem gehennæ æternam; vel iam in inferni tormentis, cum anima cōiunctum, perpetua morte viuens. VITAM. 1. Tim. 5.

Corpus anima viuit, anima Deo, nam vt corpus ab anima, ne in puluerē diffluat, conseruatur, functionesque sensuum & cęterarum potentiarum accipit: sic animę dat omnem pulchritudinem Deus, quam gratia sua replet, internisque sensibus spiritualibus addit vigorem. nam sicut corpus anima destitutum; omnium planè sensuum vsu caret: ita peccatrix anima à vita gratię aliena, nulla interna spiritus suauitate moueri potest. Hanc vitam nobis à matre vitę petimus, sed puram cupimus, hoc est, sanam. vt enim infirmitas corporis est prænuncia mortis, sic infirmitas ani-

mæ disponit ad animæ mortem. infirmitates eius sunt vitiosæ affectiones, vel innatę, vel mala consuetudine contractæ, à quibus expeditos esse conuenit, quibus est currendum in via hac vitæ. Sit ergo vita pura, nullis animi morbis, nullaque morte permixta. Is robusto & bene constituto corpore censetur, qui toto vitæ suæ decursu nullo morbo laborat. Multo est ille beatior, cuius animus tali est constantia, vt nulla vitiositate deijciatur. Paucos inuenias qui non aliquando in anima moriantur peccato mortali: pauciores, qui nō graui aliqua noxa, licet veniali, conscientiam vulnerent: paucissimos, qui linguam & sensus habeāt integros à delicto. vt igitur vita sit pura, rogamus nobis vitæ genus commonstrari, atque ad illud vocari, in quo integritas conscientiæ à morbis animi conseruetur. Varij sunt in Ecclesia viuendi status, boni quidem omnes, & quibus salutem tuam consequaris: sed vt non omnis aer & regio cuiusuis naturæ, corporisque valetudini commoda est, ita sanitatem animæ non vbique quilibet tuetur. Huic conuenit matrimonium; illi vita Canonicorum; isti religio. Atque vt sunt diuersa instituta Religiosorum: sic non omnia sunt omnibus accommodata.

In

In constituendo vitæ genere plus sibi nonnumquam assumunt parentes in filios, quàm par sit, & commodum filijs. Dei enim munus est, quemque ad statum deligere, & ordinem, rationemque viuendi vnicuique præscribere. sicut ad Patremfamilias pertinet familiæ officia singulis domesticis partiri. Qui ergo filios non diuinæ vocationi relinquunt, sed suo illis iudicio vitæ normam deligunt, illi non sine diuina iniuria Dei munus sibi temerè vendicant, suæque temeritatis non raro dant pęnas, nimirum quoties in eo statu, quem de parentum voluntate amplexi sunt filij infeliciter viuunt. Parentes relinquant suam filiis liberam electionem filii neque in parentum desideria intenti, (quia non illis, à quibus fortè propediem morte deserentur, sed sibi est vita instituenda) neque vllius hominis consilia secuti, verùm Dei solius vocem intus vocantis attendentes, eò sequantur, quò vocat DOMINUS. Magni consilii Angelus Christus saluberrima suggeret consilia. Vt autem de Dei vocatione nihil dubites, duo hæc tibi diligenter exploranda sunt, intentio & affectus. Intentio, ne vitæ genus quæras, nisi qua decet intentione; nimirum, vt in eo sis gratior Deo, vtilior proximo. Hæc siquidem sunt

PRAESTA.

Intétio.

duo charitatis præcepta, ad quæ vitam vniuersam dirigere iubemur. Qui enim hoc sibi præfigunt vt ad honores ascendant, vt opes congerant, vt deliciis affluant, vt commodis abundent, vt scientiis augeantur, vt aliud denique obtineant sibi, non Deo, vel proximo, hi praua intentione de ratione viuendi cogitant. At quia nullus est viuendi status Ecclesiæ auctoritate approbatus, in quo non aliquo modo hæc duo charitatis præcepta rectè obseruentur, dum in electione occuparis, non statim illic subsiste quo impetus te fert animi, sed maturè considera, in quo tandem vitæ genere affe-
Affectus ctus conquiescat, & in quo mens pacem & solatium inueniat. Sic enim ait Prophe-
Psal. 84. ta: Audiam quid loquatur in me Dominus, quoniam loquetur pacem in plebem suam. Porro vt tibi familiariter & apertè loquatur Dominus, nulla est commodior mediatrix virgine matre MARIA, quæ inuocata, ad Filium adducat. Igitur MARIAM adi, pulsa cæli portam, vitam pete puram. Eia Mater Domini mei, ego adolescens dubius hæreo, animique pendeo, quam viam viuendi sim ingressurus: consultatio hæc est plena periculis, omniumque actionum humanarum difficillima, summique momenti, ex qua salus

mea pendet, aut interitus. Si à vero ſcopo electionis aberro, facile mihi erit in omnia ruere flagitia, quia nullum peccatum facit homo, quod non faceret alter homo, ſi deſit Rector, per quem factus eſt homo. Si ſcopum attingo, illud conſequar Dei gratia, ad quod me Deus creauit, atque redemit. Parentes humana prudentia ſuadent fortè quòd non tam animæ meæ ſaluti, quàm ſibi, amicis, familiæ ſit honori. Iuuentus ad libertatem noxiam adſpirat, & caro ad quietem, mundus ſua offert, ſed vana, & mox peritura. Tu mater Diuini conſiliarii, æternæque ſapientiæ, quæſo vitam pręſta puram, dato ſana cõſilia, & filii tui, qui eſt ſapientia Patris, declara voluntatem.

D. Aug. hom. 23. l. 50. homiliarũ.

Pura vita quęrenda eſt, hoc eſt, munditіes à peccato, reliquiiſque peccatorum. Qui enim ad locum clariſſimum contendit, nullas adferat vel ſordes, vel næuos: vt igitur ille qui ad Regis conclaue cum Rege acturus feſtinat, mundiſſimas quærit vias, veſteſque ſuas à luto ſordibuſque toto itinere, quoad eius fieri poteſt, tuetur; ne ſi earum munditiem ad veſtibulum vſque conclauis differat, tempus non detur iis ſiccandis aut repurgandis: ita nobis ſectanda eſt munditіes animi, neque vel

PVRAM.

in horam vſque mortis differenda, vel poſt mortem expectanda. poſt mortem etenim à mortiferis culpis nulla eſt purgatio: à venialibus, & pœnis mortalium peccatorum eſt illa quidem, ſed lenta, aſpera, ſeuera, diuturna. Huic vitæ debetur miſericordia, ſequenti iuſtitia. Hic ſatisfactiones merentur, illic nullum eſt meritum, ſed retributio: neque ſatisfactio, ſed (vt ita dicam) ſatiſpaſſio. In finem vitæ eſt periculoſa dilatio, ne præter opinionem citiùs euocemur, & pleni ſordibus DEO ſiſtamur, vadimonium obituri. Sit igitur totus decurſus vitæ puriſſimus. Et licet ſine peccatis hæc vita non ducatur; caueri tamen poſſunt crimina, grauioraque delicta venialia. pro leuiſſimis verò imitandæ nobis ſunt nobiles matronæ, quæ ad abſtergendos pulueres circumferunt veſtiarias ſcopas: & viri Iapanes, qui, ne ſuccreſcant in capite pili, (nam in caluitio ornatum ponunt) ſemper ad manum habent forcipes, quibus excreſcentem crinem radicitus euellant. Ita nobis quotidiana pœnitentia, & lacrymis delenda ſunt quotidiana peccata, ſine quibus in hoc mundo non viuitur. ſicut enim vas ſtãneum, ſi, quoties vſu nonnihil commaculatur, ſtatim etiam arena perfricetur, lixi-

uioque abluatur, non modò nitorem ſeruabit, ſed continenter augebit: ita cui vnicè cordi eſt vt quotidie ſemel, iterumque, aut ſæpius, conſcientiæ ſordes dolore, & operibus pœnitentiæ diluat, is vitam conſeruat puram. Quòd ſi fortaſsis puluere aliquo obducatur, in promptu habet quo ſordes excutiat.

Vitam igitur præſta puram, puriſsima Virgo, ſis mihi auxilio in peccatorum obtinenda remiſſione, quę ſolo filii tui ſanguine abluuntur; ſimul atque peccato conſcientiam contaminauero, tu mentis oculis obiice contractas ſordes, vt ab occultis meis mundet me Dominus. Et quia in hoc puluere ſine puluere non ambulatur, fac habeam donum lacrymarum, quibus peccata quotidie defleam: neque deſit voluntas & commoditas ſæpius ea Sacerdoti confitendi, perfectamque abſolutionem à culpis omnibus & pœnis obtinendi. *Pſal* 18.

Cæterum vt ego hanc vitam ſeruem puram, tu vitam præſta puram: vitę, inquam, genus, in quo non tam cerimoniarum quàm puritatis inſtituti ratio habeatur. Si enim ad Religioſum inſtitutum vocet me Dominus, tu mihi illum locum deſigna, in quo Religionis vota accuratè ſeruentur; in quo vigeat angelica puritas; perfecta

rerum abdicatio; plena sui in obedientiæ voluntatem resignatio: fraterna caritas, sinterus cultus Dei, pax conscientiæ: à quo absint susurri, rebellio, proprietas, comessatio, vanitas: ne fugiens vitia mundi, in grauiora labar discrimina. Vt enim vix est sanctior sancto religioso, ita vix quisquam iniquior malo religioso. Tu me ab eiusmodi vita impura protege: sed vt totis viribus sector perfectionem, Deumque purissimè colam, vitam quæso præsta puram, vitæ genus incorruptum.

D. Aug. epistola. 136.

ITER.

Iter para tutum. Non satis est vt viam ingrediamur mundam, nisi illa sit ab hostibus & feris tuta. Aiunt iter significare tam viam ipsam, sed angustiorem, quæ non capiat vehiculum; quàm actum ambulandi: vnde dicatur, iter facere, & iter habere. Hæc vita humana quid est obsecro, nisi profectio & iter ad mortem? simul atque vitam accepimus, properamus ad vitæ terminum, vt vitam deseramus. Vehementia motus cælestis, qui vigintiquatuor horis vniuersum hunc tam vastum orbem conficit, nobis est documento velocitatis temporis, quod aiunt esse motus illius mensuram. Currimus ergo, rapimurque ad mortem: quibus licet tempus præsens videatur prolixum, & tempus futurum tardiùs

aduenturum, præteritum certè ducitur breuissimum: vt rectè dixerit Poeta: Tacitisque senescimus annis: nam veloci fuga non aduertentibus elabitur ætas Hæc cogitans non delectaberis hac vita fragili, fugaci, & caduca: sed viatores imitaberis, qui ex longa peregrinatione domum redeũt: hi sanè in vij moram non faciunt, sed domum festinant; compendia viarũ quærunt; rebus externis, præsertim rusticanis, non mouentur; animus est in patria, de qua cogitant & loquuntur; ad quam solam anhelant; ad quã vt commodiùs citiusq. perueniant, vtuntur vehiculis; vt tutiùs, assumunt arma; vt iucundiùs, adiungunt comites: merces aut supellectilem præmittunt, vt paratam domi inueniant. Tu quidem viuendo properas ad mortem; sed animo propera in cælum: quære compendia, vt statim à morte sine longis purgatorij diuerticulis rectà in cęlestem Patriam euoles. Quod procul dubio futurũ est, si terrenis his lutosisq. rebus nõ oblecteris; si animo continenter cælum mediteris, & quæras; si vehiculis vtaris, & armis, iucundisque socijs. Vehimur in cælũ gratia Dei, quæ iter hoc nostrum; operaq. bona facit planiora & leuiora. vehuntur quoque subditi maiorum suorum imperio: qui namq. obedientia

Vehicula.

tia cæca soli superioris sui voluntate nititur, ille commodè portatur, & humeris Prælati sui innixus quodam modo gestatur & vehitur. *Arma.* Armis iustitiæ muniendi sumus, quorum panopliam describit Apostolus. *Ephes. 6.* Cingulum (quo vestes, ne ingressum impediant, attolluntur) sit veritas, actionumque omnium sinceritas. Lorica sit iustitia, id est, vita virtutum omnium genere ornata; scutum sit fides; spes autem galea, studiumque propagandi Euangelii calceamẽtorum loco: denique gladius verbum Dei cum omni oratione & obsecratione depellat hostes. *Comites* Comites huius itineris nobis adsciscamus: ex viuentibus quidem viros sanctos, quorum colloquiis, exemplis, orationibus instruamur, excitemur, iuuemur: ex illis verò qui ad aliã vitam pertinent, Angelos Beatosque omnes; quibuscum nostra sit hic in terris conuersatio: illi namque animæ quæ seriò Deum colit, seseque studet sponsam castam exhibere Christo, non solùm adest Angelus tutelaris, qui dæmonis conatus reprimat; sed Angelorum, multorumque sanctorum auxilia, atque solatia: vt de ea *Cant. 1.* rectè dixerit Sponsus in canticis Salomonis; Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea. Quem comitatum

tum aſpexit circum Dominum ſuum Heliſæum famulus eius Giezi. vt enim ſint in cælis tum Angeli, tum ſancti Dei inuocati: tamen à nobis, virtute ſua nobis ad mirabiliter adſunt; nobiſque tanquam præſentes impertiunt fauorem ſuum. Nam quando beatiſſima virgo, aut ſancti alii viuentibus hominibus apparere ſolent, non deſerunt illi quidem cælum, adſunt tamen illis ſupernaturali quadam ratione. Iam verô hoc iter facturus præmitte merces & opes, vt illic inuentis vtaris: & nobiliſſimo Iudici ſiſtendus, ne nudus aut ſordidus inueniaris. Imprudenter faciunt, tum illi, qui nihil de futura æternitate ſoliciti, diuitias in itinere ſolo conficiendo abſumunt, atque plateas ſumptuoſis palatiis ornant: tum, qui teſtamentis, vt poſt ſe per manus pauperum tranſmittantur, hæredibus mandant. Nam iſti de corpore exeuntes, quod bona ſua præueniant, nihil in noua regione (quo nihil præmiſerunt) ſuum inueniunt; vel ſecum deferunt, quo tegantur, & pro honeſtate loci illius, dignitateque Iudicis, & aſſeſſorum eius ornentur. tardiſſimè enim perficiuntur teſtatorum mandata, illa præſertim quæ de pauperum eleemosynis conſtituta ſunt; & frequenter negligũtur penitus. ſatiùs igitur fuerit,

4. Reg. 5.

Opes præmittendæ.

quęcun-

quæcunque cariora sunt, & quibus afficimur maximè, eò ante mortem præmittere, vbi in æternum frui illis liceat.

Duplicia nobis bona sunt in hoc itinere concredita; quædam externa; diuitiæ, honores, dignitas, nobilitas, cæteraque id genus, quæ mundus admiratur, & mirè colit. His non desiderat Dominus nos onustos incedere: grauant etenim, & iter reddunt molestius. Gratius illi fuerit, si per alios ea in cælum deferantur; per pauperes, inquam, quos earum rerum baiulos in hoc mundo constituit. siquidē iter hoc est lubricum, via angusta, & porta arcta: quæ non dico onustos sarcinis, sed ne obeso quidem corpore, cui nimium dediti fuerunt, grauatos admittet. Alia sunt spiritualia bona; nimirum gratia Dei, iustitia, & virtutes; quæ quòd nec grauent, sed releuent iter facientem; neque inflent, sed humilitate extenuent; neque locum occupent, sed animum; sine molestia feruntur & per portam vitæ æternæ licet angustam, sine impedimento transeunt. His autem bonis insidiantur hostes humani generis, qui hoc iter infestant, & istis despoliauerunt miserum illum viatorem, qui de Hierusalem descendebat in Hiericho. obsident enim omnes vias, vt nullus sit locus tutu

Luc. 10.

à peri-

à periculis. Tibi verò hæc duo curanda erunt: Alterum vt iuxta consilium Christi bona illa tua occultes; nesciatque sinistra tua, quid faciat dextera tua. sicut enim prædones non pauperes nudant, sed diuites: ita dæmones illa bona furantur, quæ per iactantiam, aut per inanem gloriam produntur. Alterum est, vt multitudine hostium nihil motus, neque abiectione animi deijciaris; neque molestia frangaris; neque diuturnitate fatigeris: si enim primam hostium aciem perruperis, superabis reliquas. primus namque insultus est cæteris plerumque vehementior. si porrò cesseris primæ, succumbes etiam reliquis; quarum vires priorum victoria crescunt. Quicquid igitur machinetur inimicus, bona tua ne perdas, aut abijcias: virtutum officia ne negligas: sanctas consuetudines semel assumptas ne deponas, vel intermittas: tàto namque grauius erit detrimentum tuum, maiorque offensa diuinæ maiestatis, quò tardiùs iustitiam, virtutesque abieceris. sicut enim qui initio susceptæ militiæ arma proijcit, offendit ille quidem; grauiorem tamen indignationem incurrit qui integris adhuc viribus, certa iam pro foribus victoria, militiā deserit, & arma deponit: ita grauissimi sunt criminis rei, qui cùm multos Mat. 2.

annos pietatem coluerint; tandem victi molestia, diabolicis tentationibus succumbunt. toti quidem humanæ vitę insidiantur hostes, sed pręcipuè initio & fini, hoc est, iuuentuti & horę mortis.

PARA. Magistratus est purgare à pręđonibus vias. Magistratum verò gerit Virgo MARIA, Regina cęlorum, & Domina mundi. Ad hanc igitur vel maxime pertinet iter hoc nobis parare tutum: quod ipsi est quàm facillimum, sine pugna, sine molestia. Michaeli Archangelo, Angelisque eius ineundum fuit graue pręlium aduersus draconem, vt illum loco pellerent. At Domina mundi sola præsentia sua fugat diabolum: cuius rei causa est, quòd filii eius cruce ita semel contritus, & cęsus sit draco, vt ad solam illius crucis memoriam expauescat & fugiat: non aliter atque canes aut feles, si semel egregiè vapulent flagello, statim ad flagelli aspectum, vel sonitum, in fugam vertuntur: Diaboli sanè vsque adeò comminutum fuit caput; tam dira illi verbera & vulnera imposita; tam atroces dolores iusti Christi sanguine, passione, morte, vt omne illud horreat, metuat, & fugiat, quicquid passionis illius meritis est quoquo modo affectum, aut crucis illius memoriam aliquatenus repræsentat. Quocirca abi-

ca abigitur ſigno crucis ſola manu in aere formato. Pellitur aqua benedicta, herbis, ramis, cineribus in Eccleſia luſtratis; fugatur lumine candelę, & ſono campanę conſecratę: non fert pias orationes, ſancta colloquia, officia virtutum. hęc enim omnia redolent Chriſti paſſionem & ſanguinem: ex quo vim ſuam omnem, & merita acceperunt. At verò nihil poſt Chriſtum magis extimeſcit quàm Virginem Matrem: 1. quidem, quia illa corpus & ſanguinem filio ſuo, tanquam arma, quibus diabolus frangeretur, ſubminiſtrauit. Deinde quia nemo tam copiosè abundat meritis Chriſti, quibus victus eſt dęmon, atque mater Chriſti; quę non ſibi tantum, ſed nobis etiam communicanda hęc merita accepit; repleta & exundans gratia, inſtar conchę, quę plena etiam in ſubiecta vaſa effundit aquam. 3. autem, quia mater ſine filio neque conſpicitur, neque cógitari debet. Ad hanc ergo confugiendum nobis eſt in hoc itinere tot hoſtibus ſepto, vt iter nobis pateat tutum.

Itinera ſolent infeſta eſſe beſtiis & hominibus; nam & lupi, alięque ferę hominibus inſidiantur; & latrones graſſantur in vijs. Duplices habemus externos hoſtes, diabolum & mundum: dęmones qui TVTVM.

in

in hoc aere degunt; & homines, qui exemplo vel verbo ad peccandum ſolicitant. De vtriſque ſcribit Dauid, quando homini iuſto ſic loquitur: Non timebis à timore nocturno, à ſagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incurſu, & dæmonio meridiano. Significãtur quatuor modi, quibus in hoc itinere impugnamur.

1. Eſt timor nocturnus; nam & beſtiæ egrediuntur nocte ad prædandum, vt ait
Pſ.103. Propheta: Poſuiſti tenebras & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſiluæ, catuli leonum rugientes, vt rapiant. &
Mat.24 fures nocte effodiunt, & furantur ea hora quam ignorat paterfamilias. Duplex nobis eſt nox; vna externa, qua ſolis huius lumine ad tempus priuamur. Hac dæmones & dormientibus, quibus fœda ſubinde & horrẽda immittunt ſomnia, moleſti ſunt, & vigilantibus, quos ſpectris, vaniſque terriculis ab orationis nocturnæ ſtudio auocare contendunt: Altera nox eſt interna, quando animus vero lumine diuinæ gratiæ deſtitutus, alto ignorantiæ ſomno ſopitus iacet. Quid enim aliud peccatores agunt quàm dormiunt, & ſomniis occupantur? Hos igitur diabolus & per ſe falſis ſuggeſtionibus, & per miniſtros ſuos homines improbos, facilè quoquouerſum in ſuam

voluntatem trahit captiuos. Tu hoc iterne ingredere nocte, sed die: & Solem iustitiæ tibi prelucere cura.

2. Sagitta volans in die. Latrones enim eminus iaculantur vel sagittas, vel tormentarios globos, & nonnulli serpentes (quod de basilisco narrant) emisso procul veneno præsentes inficiunt, & Crocodoli euomita aqua lubricam reddunt viam, vt labentes viatores opprimant. Eiusmodi sagittis ad animas feriendas vtitur diabolus, & mūdus, quando sensus non bene obserati, præsertim oculi, & aures, fœdo aspectu aut sermone pascuntur. Periculosæ sunt, & veloces sagittæ species mulieris, obtrectatio, colloquia praua. Cataphracti equites has sagittas non metuunt, tum quia vndique ferro tecti, tum quia perniciter transeunt. Muniendi sunt igitur sensus nostri timore Domini iuxta illud: confige timore tuo carnes meas, & auertendi ab omni vanitate atque peccato. Ps. 118.

3. Negotium perambulans in tenebris sunt insidiæ hostium in latebris obseruantium viatores. vocula, Negotium, seu πρᾶγμα etiam significat molestiam sicut cùm dicimus, exhibere aut facessere negotium. Hebræis est pro negotio, pestis. insidiæ quippe sunt pestes viarum mole-

 stissimæ

ſtiſſimæ peregrinis. Eiuſmodi negotia ſunt animis occultæ tentationes, quas vel pudore prohiberis ſpirituali Patri detegere, vel ſuperbia negligis aperire. Quęrit diabolus latebras: at ſicut in angulis latitant ſordes, atque ex ſordibus oriuntur vermes, ita qui curatori & medico animæ ſuæ non conatur conſcientiam ſuam prorſus manifeſtam facere, colligit peccata, vermeſque inquietos, qui conſcientiam rodunt. Hæc negotia dicũtur in tenebris ambulare: quia menti, cui iam tenebras offuderunt, nullam concedunt quietem. Tu inſidias diabolicas detege: te totum candide aperi medico ſpirituali: vt enim corporis medicus non curat niſi cognitum morbum: ita non ſanabitur internus animi morbus, niſi cum circumſtantiis omnibus ſuis declaretur.

4. Incurſus & dæmonium meridianum. ſignificantur oppugnationes apertæ, quando aduerſarii aperto marte occurrunt, & inuadunt. Dæmones per ſe Beato Antonio grauiſſimas plagas inflixerunt. Tyranni perſecuti ſunt martyres. alii vel blanditiis, vel minis, & pœnis ad peruertenda animas vtuntur: & ſæpe inimici homini ſunt domeſtici eius, parentes, conſanguinei, ciues: dum variis machinis ad concu

tien-

tiendum illius pectus vtuntur, qui salutaria consilia Christi de sectanda vita perfectiore religionis meditatur. Aduersus horũ omniũ incursus cõuenit eos bono comitatu esse munitos, qui hoc iter in patriã cæleste ingrediuntur. Adsis igitur, ò Virgo Beata, iter para tutũm, fuga dęmones; depelle mala consortia; detege insidas; cohibe hostium minas; tolle blanditias; remoue quicquid à recto tramite abducit. & in illo vitæ genere quod iam diuino numine vel meditatus sum, vel ingressus; sternito mihi viam planam, & iter para tutum: ne quos mihi sequendos duxi superiores, aut socios, habeã seductores, aut duces ad peccatum: ne aliorum intuear vitia, ne peccatis offendar. Remoue autẽ ab hoc itinere meo omnes diaboli insidias; cuius conatus in eo versatur, vt si nobis peregrinis non possit vitam eripere, auferat bona, inferat mala, hoc est: si nequeat inducere in consensum peccati, imminuat certè euagationibus mentis, feruorem orationis, & attentionem. Hunc procul pelle ab hoc itinere: viam purga eius insidijs, telis, sordibus, & iter para tutum. Atque hæc de itinere istius vitæ. Cæterũm egressuris ex isto corpore, ineundum est aliud iter plenum periculis, cuius om-

nia latera obsident dæmones. Hi.n. magno numero in hoc aere intercludunt vias omnes in cælum; vt nisi firmo comitatu vel nemini detur aditus, vel non sine grauissimo detrimento. Pleni sunt eorum libri, qui historias aut exempla sanctorũ describunt, quibus planum faciunt, innumeros spiritus malignos morituris, vt egredientes rapiant animas, assistere, egressasque scrutari: neque pepercisse Beato Martino, sanctissimo Episcopo, cuius animæ in cælum abeunti nonnullam fecerunt morã: sicut Beato Seuerino Archiepiscopo Coloniensi sacra loca nocte cum Diacono suo Euergisso visitanti in aere ostensum fuit. Et ipse Beatus Seuerinus (vt auctor est Sanctus Petrus Damianus) diebus quindecim ob preces horarias importuno tempore dictas ab ingressu vitæ æternæ prohibitus est. non immeritò viri etiam iusti, hoc iter metuunt: cuius cogitatione trepidabat Beatus Hilarion decedens, qui septuaginta prope annos eremitarum vitam sanctissimè coluerat. Sciunt enim peruestigari omnia, & nihil prorsus vel leui macula contaminatum admitti in cælum: & ne millesimum quidẽ à purgatorii grauissimis pœnis euadere liberũ. Eia ergo Domina, Patrona, & Aduocata mea, Virgo MARIA, esto mihi dux in

tantis

tantis periculis:tu me ab hoste protege; & hora mortis suscipe. nihil præualeat in me inimicus; nihil suum inueniat; tu meritis filii tui abstérge sordes animæ meæ: nihil in illa fœdum remaneat; manibus tuis animam meam filio repræsenta:quam tu offeres,repulsam non patietur. Metuo vtique difficile illud iter;tu metus causas tolle· vt securus perrumpam hostium agmen, hic vitam præsta puram; vt illic iter pares tutum.

Vt uidentes Iesum. Cur tantopere Dei matrem veneremur, eiusque opem imploremus,hęc vna est causa, Vt videntes IESV M,semper collętemur. Sicut enim olim gentiles Philippum conueniebant dicẽtes, Domine volumus IESVM videre; & per Philippum,atque Andream admissi sunt ad IESVM: ita omnis nostra ad Dei matrem precatio, nihil clamat aliud, quàm, Domina, volumus IESVM videre. Tu iter nouisti; tu esto dux nostra. Vt enim tu sis omnium creaturarum pulcherrima, quæ gloria tua etiam ipsi cęlo insignem addis splendorem;& Angelis auges lętitiam; quia tamen es creatura, hoc est, bonum finitum;non conquiescit in te mens nostra, sed ad ipsum tendit creatorem Deum infinitæ maiestatis. Monstra te quidem no- *Ioan.12.*

Cantic 2 bi-, quibus est vox tua dulcis; & facies tua decora: sed procedens, iter para tutum, vt videntes IESVM semper colletemur.

Christus à Beato Thoma rogatus de via *Ioan.14.* ad Patrem, respondit: Ego sum via, veritas, & vita Via, quia non nisi per merita Christi intratur. Veritas, quia eius doctrina Pater demonstratur. Vita, quia eius spiritus largitur vires ad ambulandum. Per charitatem in hac via ambulamus: per fidem credimus in veritatem: per spem expectamus vitam. At Virgo Beata nõ ita ad Filiũ est via, veritas, aut vita: sed vitã prestat puram, viam parat tutã: ad ipsam ducit veritatem, mater veritatis, Christum filium, in quo sunt omnes thesauri sapietię, & scientię, vt videntes IESVM sẽper collętemur.

VT VIDENTES. Meritò quęrimus videre IESVM; quia hęc est vita ęterna, vt cognoscamus Deum Patrem, quẽ misit ille, IESVM Christum. *Ioan. 17* Variis autẽ modis videtur IESVS. Primò oculis carnis, quo modo in stabulo Bethlehemitico etiã bos cognouit possessorem suum, & asinus presepe Domini sui. sic visus est à malis, & à bonis, quãdo de eo que*Sapiẽ.2.* rebantur impii; Grauis est nobis ad videndum: boni verò delectabantur eius speciosa forma prę filiis hominum. videmus eundem in Eucharistię Sacramento aliena ve

latum

latum specie, boni cum magna animi suaui tate; quā vel ipse deuotus Sacramenti con spectus in mente creat: mali cum horrore, aut indignatione, si vel hęresi vel impieta te animum infectum habeant. In resurre ctione porrò in nouissimo die videbitur IE SVS ab omnibus & iustis, & impiis: (vide bunt enim in quem transfixerunt) sed à iu stis vultu sereno, ab impiis verò minacibus oculis, & plenis terrore. Iusti videntes ac cendentur amore, ruentque in suauissimos sui Sponsi amplexus: impii horrore con cutientur, diffugientq. vt noctuę solent ad uentante sole. Secundò videtur IESVS in hac vita per fidem, & piam meditationem, quō Dominus dixit de Abraham: Abrahā pater vester exultauit vt videret diē meū, vidit & gauisus est. Ad hanc visionem cona batur Philippū inducere Christus, cum ro ganti; Domine, ostende nobis Patrē; respō dit; Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum; & quomodo tu dicis, Ostēde nobis Patrem? non credis, quia ego in Patre, & Pa ter in me est? Non est (inquit) Philippe qđ in hac vita aspires ad videndū Patrem sicu ti est; qui dixit: Non videbit me homo, & vi uet. Diuinę essentiæ contemplatio futurę vitę reseruatur. Hic ergo à viuētibus est eo videndus modo, quo ego à meis fidelibus

Ioan. 19

Ioan. 8

Ioan. 14

Exod. 33

videri cupio; non oculis tantùm corporeis, (quomodo me vident etiam bruta animalia) sed mente: vt credar verus Deus; vt cognoscar mansuetus, iustus, sapiens, potens; vt sciar æqualis Patri, vnum cum Patre, & consubstantialis Patri: si quis eo pacto me videt fide & contemplatione, is vtique videt Patrem; à quo sola persona differo: non natura: aut vlla naturali proprietate. Tertio videtur IESVS misto modo, corporis & mentis oculis, quoties eum in rebus corporeis præsentem consideramus: videmus eum in picta imagine, quam veneramur: in superioribus nostris, quibus vt Christi vicariis morem gerimus; in pauperibus, quibus vt Christi membris subue-
Gen 18. nimus. Abraham & Loth in angelis, quos
19. esse rebantur peregrinos, susceperũt hospi-
Act. 7. tio Dominum, & Angelus in rubo ardenti visus, vt Dei vicarius dixit Moysi; Ego sum Deus Patrum tuorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. 4. modò videtur Iesus sicuti est, hoc est, essentia Dei, in cuius contemplatione beatitudo hominum & Angelorum, imò Dei ipsius consistit. Hęc visio in hoc mundo viuentibus nullis concessa est; nisi fortè paucissimis, & obiter, minimoque tempore. Ad hanc nemo viribus suis adspirare potest: quia om-
nem

nem creaturarum capacitatē excedit splē-
dor simplicissimæ & infinitæ maiestatis. At
tamen quoniam omnis intellectus, siue spi-
ritum, siue hominum, ad diuinitatem cla-
rè contuendam à Deo creatus est; in nulla
re vnquam potest conquiescere, quoad
Deum ipsum, diuinamque essentiam vide-
re detur. Vt porrò Deum mens creata vi-
deat, primùm illustranda est diuino lumi-
ne, supraque naturalem suam conditionem
eleuanda & confirmanda: tum essentia
Dei in ipsam illabitur, & per eam replet
animam seu spiritum, vt humanus ani-
mus, & Angelicus spiritus Deum in se re-
uera habeat atque possideat. Hoc igitur
est videre IESVM, possidere dignitatem,
in se habere omne bonum, consortem es-
se diuinæ naturę. Res omnes creatæ, quæ
videntur vel corporis oculis, vel mente,
foris manent, & suam transmittunt in sen-
sum, vel intellectū imaginē: Deus solus vi-
detur seipso, cuius visio est possessio, & om
niū sensuum internorum oblectatio: siqui-
dem videre Deū, est audire, gustare, odorari,
& contrectare Deum, omnibusque modis
Deum attingere, illoque satiari, sicut scri-
ptura dicit: Audiam quid loquatur in me
Dominus. Et, Gustate, & videte, quo- *Psal. 33.*
niam suauis est Dominus. Item, In odo- *Cant. 1.*
rem

rem vnguentorum tuorum curremus. Et;
1.Tim.1. Manus nostræ (inquit B. Apostolus) contrectauerunt de verbo vitæ. Denique; Satiabimur cum apparuerit gloria Domini.
Psal.16.
IESVM Multi longas molestasque peregrinationes suscipiunt, vt videant regiones, diuersos hominum mores, res nouas, & vanas, Alii formis creaturarum delectantur: Alii diuitiarum contemplatione gaudent: Alii multarũ rerum notitia; Horũ omnium aspectus adeò mentẽ non satiat; vt non rarò vel æmulationem excitet, vel tristitiam: dum fortè aliorum intueris felicitatem, quã non datur attingere aut delibare. Tu quære videre IESVM, in quo sẽper collæteris; quære salutẽ, quę in eo est posita, vt libereris malis, affluas vndiq. bonis. Nunc circumseptus es & repletus malis, quæ nullis huius vitæ cõmodis pellentur; intus abundas peccatis, vitiosis affectionibus, dissolutione perturbationum animi foris circumfluunt miseriæ, & calamitates. si IESVM quęras videre, obtinebis salutẽ. Ille quidem post hanc vitam introducet te in gaudiũ Domini tui; vt in diuinitatẽ ingressus nil extra Deum; sed omnia in Deo videas; repletus Deo. In hac tamen vita salutem quoque & beatitudinem largietur, & bonis cumulabit, si ipsi
Exod 10 soli studeas. Moyses olim montem ascendit,

dit ingressus nubem:vt nihil terrenum vel oculis vel auditu perciperet: sic tu in hac vita desiderio salutis accensus, nihil præter salutem, & IESVM in rebus omnibus contemplare. Mercatores & auari in omnibus, & vbique quærunt pecuniam: sunt qui diabolum in rebus omnibus videant, quique peccata, aut peccandi occasiones in omnibus contemplentur, & instar araneorum, omisso melle, solum venenum ex floribus sugant. Tu prętermissis aliis, ea sola sectare quæ demonstrant IESVM, & promouent salutem. Si post hanc vitā videre vis IESVM, in hac vita quære & contemplare IESVM. Hic suscipe hospitio pauperem IESVM Hic obtempera IESV per superiores suos voluntatem suam & consilia indicanti. Assuesce hic familiaritati IESV; vt postmodum in gloria sua videas IESVM: eo fruaris; eo semper collæteris. Neque cū hominibus impiis arbitreris, vel ad te nihil pertinere IESVM; vel procul abesse, aut æternā salutem diutius differendā: Tuus est enim IESVS, si velis; quia tibi datus est; tibique in passione effusus: tibi vicinus, ianuam tuam pulsans, salutem offerens, quā fortè citiùs opinione assequeris. Tu ipse, si velis, & non alius pro te, videbis DEUM saluatorem tuum, eo ipso intellectu.

lectu, quo nunc ad terrenas meditationes vteris. Roga igitur videre IESVM, & desiderium ad eius contemplationem accende. Sicut enim ardens sitis est optima ad bibendum præparatio: ita nulla re magis præparatur animus ad IESVM videndum, quàm vehementi amore, desiderioque videndi IESVM.

Quamobrem, ô sanctissima mater, ad te confugimus in hoc exilio peregrini, per te volumus IESVM videre, te duce videntes IESVM semper collætemur. Et quidem in hac vita solum IESVM videamus: auerte oculos nostros, ne videāt vanitatē: IESVM in rebus omnibus quæramus & cōtemplemur, semper enim IESVS sonat salutem, mentemque perfundit gaudio, & abundātia pacis. In exitu autem vitæ istius ne videamus diabolum, qui obseruat ad
1. Pet. 5 ostium mortis, circūiens & quærens quem deuoret. Tu nobis precor in illa hora exhibe IESVM; vt fugatis terroribus, dæmonūque insidiis, per te videntes IESVM, semper collætemur.

Semper collętemur. Mater gaudij & consolationis, quærit gaudia filus: Et portæ cæli introducit ad gaudia, non quidem alleuia & momentanea, sed ad solida, atque
2. Cor. 4 perpetua; quæ Beatus Apostolus appellat

ęternum

æternum gloriæ pondus, hoc eſt, magna, immutabilia, ſempiterna. Petimus igitur à Matre vt ſemper collætemur, ſẽper, inquã, vt hic auſpicemur gaudiũ quod in æternũ perſeueret. D. Paulus monuit: Gaudete in Domino ſemper, iterũ dico gaudete. Et alibi, Sẽper gaudete, ſine intermiſſione orate. Materia pręſẽtis gaudii eſt cumulus beneficiorũ, quibus nos affecit Dominus, qui nos in filios Dei adoptauit, miſſo in corda noſtra Spiritu ſuo ſãcto, qui nos ſanguine ſuo redemit, abluit, ornauit, qui nos omniũ bonorũ particeps fecit. Ille ergo qui retinet dignitatem filii Dei, tantasque ſpirituales diuitias, adeòque arrham vitæ æternæ, nullã habet occaſionem triſtitiæ: à nemine enim tantis bonis ſpoliari poteſt quàm à ſeipſo: quia veriſſima eſt B. Chryſoſtomi ſentẽtia: Nemo lęditur niſi à ſeipſo: & ante ipſum B. Apoſtoli Pauli. Certus ſum quia neq. mors, neque vita, neque Angeli neq. principatus, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei: ſiquidem Chriſtus Dominus antè dixerat, nemo poteſt rapere de manu Patris mei. Quæcunque enim Filiis Dei mala inferri videntur, illa ſunt numeranda in bonis, quibus interna pax & lætitia animi fit auctior atque iucundior. Lætemur ergo ſemper, nullum

SEMPER

Philipp. 4.

1. Theſ. 5.

Rom. 8.

Apoc. 1

Rom. 8.

To. 5. eſt integra homilia.

Rom. 8.

Ioan. 10

pecca-

peccatum interrumpat gaudium nostrum, nullus appetitus, seu amor inordinatus minuat; sed continua in rebus omnibus mortificatio, cupiditatumque moderatio, atque cohibitio efficiat cumulatius, firmi⁹, gloriosius. sit gaudium huius vitæ solidũ; de quo
1.Pet.1. B. Apostolus Petrus: Credentes exultats lætitia inenarrabili, & glorificata. Lætitia filiorum Dei, quam animo percipiunt, tã est exuberans & excellens, vt verbis exprimi nequeat. Estque illustris & spectatissima, quia ex nulla fæditate sincerum gaudium capimus, sed ex rebus honestis; ex actionibus virtutum; ex gloriosa præsentia Spiritus sancti, qui mentes filiorum Dei lumine gratiæ suæ illustrat: mundi gaudia ferè in sensibus hærent, qui delectantur, non penetrant intima cordis, animumue lętitia perfundunt: nec ex virtute, sed ex vanitate extrinsecus proueniunt: quamobrem neque diuturna sunt, neque solida, neque honesta; possuntque ab aliis impediri, & auferri. Non illa petimus gaudia; sed potius quæ firma sunt, & interna, quibus non ad breue tempus, sed semper collętemur.

Cæterum quia cuncta huius vitæ sunt imperfecta gaudia, precamur ęterna alterius vitæ: in qua videntes IESVM, semper collætemur. gaudia illa secura, quæ nulla tri-

la triſtitia obſcurantur, ad quæ non habet acceſſum hoſtis aut vlla aduerſitas, quæ nulla prorſus ex cauſa vel ad momentum interrumpuntur. Nã in cælis nihil minuit, ſed auget ſanctorum lætitiam. Non enim triſtantur ſancti vel hominum afflictionibus, vel damnatione parentum: illic Pater Filii æterna tormenta non deflet, ſed approbat: quia non quid patiantur improbi, ſed quàm iuſtè, & quàm accommodatè ad maiorem Dei gloriam patiantur attendunt. Quæ gloria Dei omnibus rebus illis eſt antiquior. Augetur porrò lętitia sã ctorum in dies ſingulos ex materię nouorum gaudiorum acceſſione. Manet quidem eſſentiale gaudium, quod ex diuinæ eſſentiæ contemplatione oritur, firmum & ſtabile, ſed accidentalia gaudia, nonnunquã noua accedunt, gaudent enim ſuper peccatore pœnitentiam agente: gaudent nouo aliquo ciue in cęlos admiſſo: gaudent quoties à viuentibus ex ipſorum vel doctrina vel exemplis boni aliquid ad Dei gloriam præſtatur: denique gaudent quotidiana miſericordia, ſapientia, potentia, qua Deus cælum & terram moderatur. Et quicquid alicui ſanctorum noui gaudii occaſionem præbet, illud omne in cæterorum omnium beatorum gaudium redundat.

Beati-

COL-
LAE-
TE-
MVR.

Beatitudo hominis in possessione summi boni consistit, hoc est, in visione diuinę essentiæ, quæ videndo possidetur: sicut homo ex eo est diues, quia possidet diuitias. ex diuina visione, & summi istius boni possessione, creatur in toto homine inenarrabilis lætitia, quæ ad singulas eius partes, & membra deriuatur, vt sicut in inferno nulla est in damnatis vel animæ vel corporis facultas expers grauissimi tormenti; ita in Beatis nihil sit non plenissimum gaudio: & illa maiori gloria lætitiaque abundant, quæ plus molestiarum pro Christi nomine fuerint perpessa, iuxta illud: Exultabunt ossa humiliata.

Psal. 50.

Obsecro te igitur, ô MARIA, mediatrix nostra, ad hanc nos sempiternam, solidamque lętitiam admitte. Tu es propitiatorium Altissimi, ut nobis Filium tuũ reddas propitium, tu es scala Iacob, per quam in cęlos conscenditur, tu es Ianua paradisi, & felix cæli porta, per quam in patriam reducimur. Tu es stella matutina & aurora consurgens, quæ Solem Iustitiæ adducis. Esto nobis benigna; deduc in gaudia Filii tui, vt videntes IESVM semper collætemur: non collætemur mundo, sed Deo, tibi, sanctisque omnibus: il-

Gene. 29.

lo frua-

lo fruamur gaudio quo fruitur Deus; quo tu abundas; quo Sancti sunt felices & beati. In hac quidem vita collætemur Deo & tibi, diuinisque, & tuis laudibus gaudeamus: sed post hanc vitam fac vt videntes Iesum semper collætemur.

VERSVS VII.

Sit laus Deo Patri:
Summo Christo decus,
Spiritui sancto,
Tribus honor vnus.

SAncta Ecclesia ex institutione B. Damasi Pōtificis singulis Psalmis & Hymnis adiūgit laudem Dei; 1. vt orationibus nostris Dei solius laudē gloriamq. quæramus; nō humanū fauorē, more hypocritarum, qui Deū precātur; vt honorificentur ab hominibus. 2. vt sciāt Christiani, orationes oēs referri in Deū, eas etiā quæ offeruntur sanctis: quos nō ob aliud oramus, quàm vt nos Deo cōmendēt. 3. vt tota nostra oratio ex Dei volūtate pēdeat; nihilq. eorū quæ petimus, nobis velimus donari; nisi ad maiorē diuini nominis gloriā. 4. vt laudi diuinæ assuescam⁹, & in his quæ à nobis prçclarè fieri videntur, nihil gloriæ nobis tribuamus oībusq. in reb⁹ seu prosperis seu aduersis dicam⁹; Sit la⁹ Deo: & cū B. Iob: Sit nomē Domini

mini benedictum. 5. vt omnes actiones nostras, omnia studia & conatus nostros, omnesque cogitationes ad Dei gloriam referamus:& quidē aggressuri quippiā,nihil præter Dei honorē ob oculos habeamus: absoluto verò opere, nos ipsos,num quid aliud cōcupiuerimus excutiamus .6.vt ad sanctissimæ Trinitatis nomē dum motu corporis exhibemus reuerentiā, mens fortè alienis cogitationibus distracta reuocetur,suæque irreuerentiæ & euagationis veniam precetur:& maligni spiritus,qui,velut muscæ,orationis suauitatem interturbare moliuntur, huius tantæ maiestatis nomine, quasi flabello, decutiantur. At verò sacer ille versiculus laudis: Gloria Patri,& Filio,& Spiritui Sancto; Dominicæ passionis tempore in Ecclesijs tacetur; non quòd tūc laudem non mercatur à nobis Deus, quando opus perfecit summæ laudis: sed 1. quia is qui summè est gloriosus, splendorque gloriæ,
Heb. 1. & figura substantiæ Patris;ignominia Crucis,& humilitate Passionis gloriam suæ maiestatis tūc occultauit & texit. 2. quia Ecclesia diebus illis nos velit potiùs contemplatione Passionis,dolorum, mortisque Christi,quàm gloriæ cælestis occupari:simili ex causa totis nouem hebdomadibus à septuagesima vsque ad Pascha, omittitur cantici

illud

illud cæleſte, Alleluia; quod ſignificat. Laudate Deum; vt fideles moneantur, tempore illo, quod pœnitentiæ lamentis conſecratũ eſt, de peccatis, & his quæ ad peccatorum deteſtationem inducunt, magis quàm de illis quæ animum exhilarant, meditari.

LAVS.

Deo præter laudẽ nihil donamus: Cùm enim ipſius ſit orbis terrarum & plenitudo eius, hoc ſolum à nobis exigit, vt ſe laudemus. Vera porrò & perfecta laus Dei, multa complectitur. 1. admirationem ex infinitæ pulchritudinis, maieſtatis, gloriæ, perfectionis, bonitatis, caritatis, miſericordiæ, cæterarumq. proprietatũ eius contẽplatione. 2. honorẽ omnem & reuerentiam, quã tanta Maieſtas meretur. 3. ſummam animorũ noſtrorum demiſſionẽ; qua nos totos eius arbitrio committimus, omniaq. noſtra, laudibus eius conſecramus. 4 gratiarũ actionẽ pro innumeris quibus tanta maieſtas tantillum vermiculum beneficiis cumulauit. 5. peccatorum noſtrorũ confeſſionem. 6. fidei eius propagationem, vt ad multos notitia Dei veniat. 7. denique quidquid diuinam gloriam, honorem, & cultum quoquo modo augere poteſt, illud vocula laudis Dei continetur.

Solent Imperatoribus ad laudem & gloriam conſtitui imagines, nobilibuſque ornamentis

 namentis

nia latera obsident dæmones. Hi.n. magno numero in hoc aere intercludunt vias omnes in cælum; vt nisi firmo comitatu vel nemini detur aditus, vel non sine grauissimo detrimento. Pleni sunt eorum libri, qui historias aut exempla sanctorũ describunt, quibus planum faciunt, innumeros spiritus malignos morituris, vt egredientes rapiant animas, assistere, egressasque scrutari: neque pepercisse Beato Martino, sanctissimo Episcopo, cuius animæ in cælum abeunti nonnullam fecerunt morã: sicut Beato Seuerino Archiepiscopo Coloniensi sacra loca nocte cum Diacono suo Euergislo visitanti in aere ostensum fuit. Et ipse Beatus Seuerinus (vt auctor est Sanctus Petrus Damianus) diebus quindecim ob preces horarias importuno tempore dictas ab ingressu vitæ æternæ prohibitus est. non immeritò viri etiam iusti, hoc iter metuunt; cuius cogitatione trepidabat Beatus Hilarion decedens, qui septuaginta prope annos eremitarum vitam sanctissimè coluerat. Sciunt enim peruestigari omnia, & nihil prorsus vel leui macula contaminatum admitti in cælum: & ne millesimum quidẽ à purgatorii grauissimis pœnis euadere liberũ. Eia ergo Domina, Patrona, & Aduocata mea, Virgo MARIA, esto mihi dux i[n]

tantis

tantis periculis:tu me ab hoste protege; & hora mortis suscipe. nihil præualeat in me inimicus; nihil suum inueniat; tu meritis filii tui abserge sordes animæ meæ: nihil in illa fœdum remaneat; manibus tuis animam meam filio repræsenta:quam tu offeres,repulsam non patietur. Metuo vtique difficile illud iter;tu metus causas tolle. vt securus perrumpam hostium agmen, hic vitam præsta puram; vt illic iter pares tutum.

Vt uidentes Iesum. Cur tantopere Dei matrem veneremur, eiusque opem imploremus,hęc vna est causa, Vt videntes IESV M,semper collętemur. Sicut enim olim gentiles Philippum conueniebant dicētes, Domine volumus IESVM videre; & per Philippum,atque Andream admissi sunt ad IESVM: ita omnis nostra ad Dei matrem precatio, nihil clamat aliud, quàm, Domina, volumus IESVM videre. Tu iter nouisti; tu esto dux nostra. Vt enim tu sis omnium creaturarum pulcherrima, quæ gloria tua etiam ipsi cęlo insignem addis splendorem;& Angelis auges lętitiam; quia tamen es creatura, hoc est, bonum finitum;non conquiescit in te mens nostra, sed ad ipsum tendit creatorem Deum infinitæ maiestatis. Monstra te quidem no- *Ioan.12.*

Cantic 2 bi, quibus est vox tua dulcis; & facies tua decora: sed procedens, iter para tutum, vt videntes IESVM semper collętemur.

Christus à Beato Thoma rogatus de via
Ioan.14. ad Patrem, respondit: Ego sum via, veritas, & vita: Via, quia non nisi per merita Christi intratur. Veritas, quia eius doctrina Pater demonstratur. Vita, quia eius spiritus largitur vires ad ambulandum. Per charitatem in hac via ambulamus: per fidem credimus in veritatem: per spem expectamus vitam. At Virgo Beata nõ ita ad Filiũ est via, veritas, aut vita: sed vitã pręstat puram; viam parat tutã: ad ipsam ducit veritatem, mater veritatis, Christum filium, in quo sunt omnes thesauri sapiẽtię, & scientię, vt videntes IESVM sẽper collętemur.

VT VIDENTES. Meritò quęrimus videre IESVM; quia hęc est vita ęterna, vt cognoscamus Deum Patrem, quẽ misit ille, IESVM Christum.
Ioan. 17 Variis autẽ modis videtur IESVS. Primò oculis carnis, quo modo in stabulo Bethlehemitico etiã bos cognouit possessorem suum, & asinus pręsepe Domini sui. sic visus est à malis, & à bonis, quãdo de eo que
Sapiẽ.2. rebantur impii; Grauis est nobis ad videndum: boni verò delectabantur eius speciosa forma pręs filiis hominum. videmus eundem in Eucharistię Sacramento aliena ve

latum

latum ſpecie, boni cum magna animi ſuaui tate, quã vel ipſe deuotus Sacramenti con ſpectus in mente creat: mali cum horrore, aut indignatione, ſi vel hęreſi vel impietate animum infectum habeant. In reſurre ctione porrò in nouiſſimo die videbitur IESVS ab omnibus & iuſtis, & impiis: (vide bunt enim in quem transfixerunt) ſed à iu ſtis vultu ſereno, ab impiis verò minacibus oculis, & plenis terrore. Iuſti videntes accendentur amore, ruentque in ſuauiſſimos ſui Sponſi amplexus: impii horrore concutientur, diffugient q. vt noctuę ſolent aduentante ſole. Secundò videtur IESVS in hac vita per fidem, & piam meditationem, quo Dominus dixit de Abraham: Abrahã pater veſter exultauit vt videret diẽ meũ, vidit & gauiſus eſt. Ad hanc viſionem cona batur Philippũ inducere Chriſtus, cum roganti; Domine, oſtende nobis Patrẽ; reſpõdit; Philippe, qui videt me, videt & Patrem meum; & quomodo tu dicis, Oſtẽde nobis Patrem? non credis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt? Non eſt (inquit) Philippe qđ in hac vita aſpires ad videndũ Patrem ſicuti eſt; qui dixit: Non videbit me homo, & viuet. Diuinę eſſentiæ contemplatio futurę vitę reſeruatur. Hic ergo à viuẽtibus eſt eo videndus modo, quo ego à meis fidelibus

Ioan. 19

Ioan. 8

Ioan. 14

Exod. 33

videri cupio; non oculis tantùm corporeis, (quomodo me vident etiam bruta animalia) sed mente: vt credar verus Deus; vt cognoscar mansuetus, iustus, sapiens, potens; vt sciar æqualis Patri, vnum cum Patre, & consubstantialis Patri: si quis eo pacto me videt fide & contemplatione, is vtique videt Patrem; à quo sola persona differo: non natura: aut vlla naturali proprietate. Tertio videtur IESVS misto modo, corporis & mentis oculis, quoties eum in rebus corporeis præsentem consideramus: videmus eum in picta imagine, quam veneramur: in superioribus nostris, quibus vt Christi vicariis morem gerimus; in pauperibus, quibus vt Christi membris subue-
Gen 18. nimus. Abraham & Loth in angelis, quos
19. esse rebantur peregrinos, susceperũt hospi-
Act. 7. tiò Dominum, & Angelus in rubo ardenti visus, vt DEI vicarius dixit Moysi; Ego sum Deus Patrum tuorum, DEUS Abraham, Deus Isaac, & DEUS Iacob. 4. modò videtur Iesus sicuti est, hoc est, essentia DEI, in cuius contemplatione beatitudo hominum & Angelorum, imò Dei ipsius consistit. Hęc visio in hoc mundo viuentibus nullis concessa est; nisi fortè paucissimis, & obiter, minimoque tempore. Ad hanc nemo viribus suis adspirare potest: quia om-

nem creaturarum capacitatẽ excedit splẽdor simplicissimæ & infinitæ maiestatis. At tamen quoniam omnis intellectus, siue spiritum, siue hominum, ad diuinitatem clarè contuendam à Deo creatus est; in nulla re vnquam potest conquiescere, quoad Deum ipsum, diuinamque essentiam videre detur. Vt porrò Deum mens creata videat, primùm illustranda est diuino lumine, supraque naturalem suam conditionem eleuanda & confirmanda : tum essentia Dei in ipsam illabitur, & per eam replet animam seu spiritum, vt humanus animus, & Angelicus spiritus Deum in se reuera habeat atque possideat. Hoc igitur est videre IESVM, possidere dignitatem, in se habere omne bonum, consortem esse diuinæ naturę. Res omnes creatæ, quæ videntur vel corporis oculis, vel mente, foris manent, & suam transmittunt in sensum, vel intellectũ imaginẽ: Deus solus videtur seipso, cuius visio est possessio, & omniũ sensuum internorum oblectatio: siquidem videre Deũ, est audire, gustare, odorari, & contrectare Deum, omnibusque modis Deum attingere, illoque satiari, sicut scriptura dicit: Audiam quid loquatur in me Dominus. Et, Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus. Item, In odo- *Psal. 33.* *Cant. 1.*

rem vnguentorum tuorum curremus. Et;
1. Tim. 1. Manus noſtræ (inquit B. Apoſtolus) contrectauerunt de verbo vitæ. Denique; Sa-
Pſal. 16. tiabimur cum apparuerit gloria Domini.

IESVM Multi longas moleſtasque peregrinationes ſuſcipiunt, vt videant regiones, diuerſos hominum mores, res nouas, & vanas, Alii formis creaturarum delectantur: Alii diuitiarum contemplatione gaudent: Alii multarũ rerum notitia: Horũ omnium aſpectus adeò mentẽ non ſatiat; vt non raro vel æmulationem excitet, vel triſtitiam: dum fortè aliorum intueris felicitatem, quã non datur attingere aut delibare. Tu quære videre IESVM, in quo sẽper collæteris; quære ſalutẽ, quę in eo eſt poſita, vt libereris malis, affluas vndiq. bonis. Nunc circumſeptus es & repletus malis, quæ nullis huius vitæ cõmodis pellentur; intus abundas peccatis, vitioſis affectionibus, diſſolutione perturbationum animi foris circumfluunt miſeriæ, & calamitates. ſi IESVM quęras videre, obtinebis ſalutẽ. Ille quidem poſt hanc vitam introducet te in gaudiũ Domini tui; vt in diuinitatẽ ingreſſus nil extra Deum; ſed omnia in Deo videas, repletus Deo. In hac tamen vita ſalutem quoque & beatitudinem largietur, & bonis cumulabit, ſi ipſi
Exod. 10 ſoli ſtudeas. Moyſes olim montem aſcendit,

dit ingreſſus nubem:vt nihil terrenum vel oculis vel auditu perciperet: ſic tu in hac vita deſiderio ſalutis accenſus, nihil præter ſalutem, & IESVM in rebus omnibus contemplare. Mercatores & auari in omnibus, & vbique quærunt pecuniam: ſunt qui diabolum in rebus omnibus videant, quique peccata, aut peccandi occaſiones in omnibus contemplentur, & inſtar araneorum, omiſſo melle, ſolum venenum ex floribus ſugant. Tu prętermiſſis aliis, ea ſola ſectare quæ demonſtrant IESVM, & promouent ſalutem. Si poſt hanc vitã videre vis IESVM, in hac vita quære & contemplare IESVM. Hic ſuſcipe hoſpitio pauperem IESVM Hic obtempera IESV per ſuperiores ſuos voluntatem ſuam & conſilia indicanti. Aſſueſce hic familiaritati IESV; vt poſtmodum in gloria ſua videas IESVM: eo fruaris; eo ſemper collæteris. Neque cũ hominibus impiis arbitreris, vel ad te nihil pertinere IESVM; vel procul abeſſe, aut æternã ſalutem diutius differendã: Tuus eſt enim IESVS, ſi velis; quia tibi datus eſt; tibique in paſſione effuſus: tibi vicinus, ianuam tuam pulſans, ſalutem offerens, quã fortè citius opinione aſſequeris. Tu ipſe, ſi velis, & non alius pro te, videbis DEum ſaluatorem tuum, eo ipſo intel-

lectu.

lectu, quo nunc ad terrenas meditationes vteris. Roga igitur videre IESVM, & desiderium ad eius contemplationem accende. Sicut enim ardens sitis est optima ad bibendum præparatio: ita nulla re magis præparatur animus ad IESVM videndum, quàm vehementi amore, desiderioque videndi IESVM.

Quamobrem, ô sanctissima mater, ad te confugimus in hoc exilio peregrini, per te volumus IESVM videre, te duce videntes IESVM semper collætemur. Et quidem in hac vita solum IESVM videamus: auerte oculos nostros, ne videát vanitaté: IESVM in rebus omnibus quæramus & cótemplemur, semper enim IESVS sonat salutem, mentemque perfundit gaudio, & abundãtia pacis. In exitu autem vitæ istius ne videamus diabolum, qui obseruat ad
1. Pet. 5 ostium mortis, circũiens & quærens quem deuoret. Tu nobis precor in illa hora exhibe IESVM; vt fugatis terroribus, dæmonũque insidiis, per te videntes IESVM, semper collætemur.

Semper collętemur. Mater gaudij & consolationis, quærit gaudia filiis: Et porta cæli introducit ad gaudia, non quidem ad leuia & momentanea, sed ad solida, atque
2. Cor. 4 perpetua; quæ Beatus Apostolus appellat

ęternum

æternum gloriæ pondus, hoc eſt, magna, immutabilia, ſempiterna. Petimus igitur à Matre vt ſemper collætemur, ſēper, inquā, vt hic auſpicemur gaudiū quod in æternū perſeueret. D. Paulus monuit: Gaudete in Domino ſemper, iterū dico gaudete. Et alibi, Sēper gaudete, ſine intermiſſione orate. Materia prçsētis gaudii eſt cumulus beneficiorū, quibus nos affecit Dominus, qui nos in filios Dei adoptauit, miſſo in corda noſtra Spiritu ſuo ſācto, qui nos ſanguine ſuo redemit, abluit, ornauit, qui nos omniū bonorū participes fecit. Ille ergo qui retinet dignitatem filii Dei, tantasque ſpirituales diuitias, adeòque arrham vitæ æternæ, nullā habet occaſionem triſtitiæ: à nemine enim tantis bonis ſpoliari poteſt quàm à ſeipſo: quia veriſſima eſt B. Chryſoſtomi ſentētia: Nemo lçditur, niſi à ſeipſo: & ante ipſum B. Apoſtoli Pauli. Certus ſum quia neq. mors, neque vita, neque Angeli neq. principatus, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei: ſiquidem Chriſtus Dominus antè dixerat, nemo poteſt rapere de manu Patris mei. Quæcunque enim Filiis Dei mala inferri videntur, illa ſunt numeranda in bonis, quibus interna pax & lætitia animi fit auctior atque iucundior. Lætemur ergo ſemper, nullum

SEMPER

Philipp. 4.
1. Theſ. 5.
Rom. 8.
Apoc. 1
Rom. 8.
To. 5. eſt integra homilia.
Rom. 8.
Ioan. 10

peccatum interrumpat gaudium noſtrum, nullus appetitus,ſeu amor inordinatus mi nuat;ſed continua in rebus omnibus morti ficatio,cūpiditatumque moderatio , atque cohibitio efficiat cumulatius,firmi⁹, glorio ſius. ſit gaudium huius vitæ ſolidū,de quo
1.Pet.1. B. Apoſtolus Petrus : Credentes exultat s lætitia inenarrabili, & glorificata. Lætitia filiorum Dei,quam animo percipiunt , tā eſt exuberans & excellens,vt verbis exprimi nequeat. Eſtque illuſtris & ſpectatiſſima,quia ex nulla fæditate ſincerum gaudium capimus , ſed ex rebus honeſtis ; ex actionibus virtutum;ex glorioſa præſentia Spiritus ſancti,qui mentes filiorum Dei lumine gratiæ ſuæ illuſtrat:mundi gaudia ferè in ſenſibus hærent,qui delectantur, non penetrant intima cordis , animumue lęti tia perfundunt:nec ex virtute, ſed ex vanitate extrinſecus proueniunt : quamobrem neque diuturna ſunt, neque ſolida , neque honeſta;poſſuntque ab aliis impediri, & au ferri.Non illa petimus gaudia ; ſed potius quæ firma ſunt,& interna , quibus non ad breue tempus, ſed ſemper collętemur.

Cæterum quia cuncta huius vitæ ſunt imperfecta gaudia, precamur ęterna alterius vitæ:in qua videntes IESVM, ſemper collætemur . gaudia illa ſecura , quæ nulla tri-

la triſtitia obſcurantur, ad quæ non habet acceſſum hoſtis aut vlla aduerſitas, quæ nulla prorſus ex cauſa vel ad momentum interrumpuntur. Nã in cælis nihil minuit, ſed auget ſanctorum lætitiam. Non enim triſtantur ſancti vel hominum afflictionibus, vel damnatione parentum: illic Pater Filii æterna tormenta non deflet, ſed approbat: quia non quid patiantur improbi, ſed quàm iuſtè, & quàm accommodatè ad maiorem Dei gloriam patiantur attendunt. Quæ gloria Dei omnibus rebus illis eſt antiquior. Augetur porrò lętitia ſãctorum in dies ſingulos ex materię nouorum gaudiorum acceſſione. Manet quidem eſſentiale gaudium, quod ex diuinæ eſſentiæ contemplatione oritur, firmum & ſtabile, ſed accidentalia gaudia, nonnunquã noua accedunt, gaudent enim ſuper peccatore pœnitentiam agente: gaudent nouo aliquo ciue in cęlos admiſſo: gaudent quoties à viuentibus ex ipſorum vel doctrina vel exemplis boni aliquid ad Dei gloriam præſtatur: denique gaudent quotidiana miſericordia, ſapientia, potentia, qua Deus cælum & terram moderatur. Et quicquid alicui ſanctorum noui gaudii occaſionem præbet, illud omne in cæterorum omnium beatorum gaudium redundat.

COL-LAE-TE-MVR.

Beatitudo hominis in possessione summi boni consistit, hoc est, in visione diuinę essentiæ, quæ videndo possidetur: sicut homo ex eo est diues, quia possidet diuitias. ex diuina visione, & summi istius boni possessione, creatur in toto homine inenarrabilis lætitia, quæ ad singulas eius partes, & membra deriuatur, vt sicut in inferno nulla est in damnatis vel animæ vel corporis facultas expers grauissimi tormenti; ita in Beatis nihil sit non plenissimum gaudio: & illa maiori gloria lætitiaque abundant, quæ plus molestiarum pro Christi nomine fuerint perpessa, iuxta illud: Exultabunt ossa humiliata.

Psal. 50. Obsecro te igitur, ô MARIA, mediatrix nostra, ad hanc nos sempiternam, solidamque lętitiam admitte. Tu es propitiatorium Altissimi, ut nobis Filium tuũ reddas propitium, tu es scala Iacob, per quam in cęlos conscenditur, tu es Ianua paradisi, & felix cæli porta, per quam in pa-

Gene. 29. triam reducimur. Tu es stella matutina, & aurora consurgens, quæ Solem Iustitiæ adducis. Esto nobis benigna; deduc in gaudia Filii tui, vt videntes IESVM semper collætemur: non collætemur mundo; sed Deo, tibi, sanctisque omnibus: illo frua-

lo fruamur gaudio quo fruitur Deus; quo tu abundas;quo Sancti sunt felices & beati. In hac quidem vita collætemur Deo & tibi,diuinisque,& tuis laudibus gaudeamus: sed post hanc vitam fac vt videntes Iesum semper collætemur.

VERSVS VII.

Sit laus Deo Patri:
Summo Christo decus,
Spiritui sancto,
Tribus honor vnus.

SAncta Ecclesia ex institutione B.Damasi Pôtificis singulis Psalmis & Hymnis adiūgit laudem Dei; 1.vt orationibus nostris Dei solius laudē gloriamq. quæramus; nō humanū fauorē, more hypocritarum, qui Deū precātur; vt honorificentur ab hominibus. 2. vt sciāt Christiani, orationes oēs referri in Deū, eas etiā quæ offeruntur sanctis: quos nō ob aliud oramus, quàm vt nos Deo cōmendēt. 3. vt tota nostra oratio ex Dei volūtate pēdeat; nihilq. eorū quæ petimus, nobis velimus donari; nisi ad maiorē diuini nominis gloriā. 4. vt laudi diuinæ assuescam⁹, & in his quæ à nobis præclarè fieri videntur, nihil gloriæ nobis tribuamus oībusq. in reb⁹ seu prosperis seu aduersis dicam⁹; Sit la⁹ Deo: & cū B.Iob: Sit nomē Do

illud cæleste, Alleluia; quod significat. Laudate Deum; vt fideles moneantur, tempore illo, quod pœnitentiæ lamentis consecratū est, de peccatis, & his quæ ad peccatorum detestationem inducunt, magis quàm de illis quæ animum exhilarant, meditari.

Deo præter laudē nihil donamus: Cùm enim ipsius sit orbis terrarum & plenitudo eius, hoc solum à nobis exigit, vt se laudemus. Vera porrò & perfecta laus Dei, multa complectitur. 1. admirationem ex infinitæ pulchritudinis, maiestatis, gloriæ, perfectionis, bonitatis, caritatis, misericordiæ, cæterarumq. proprietatū eius contēplatione. 2. honorē omnem & reuerentiam, quā tanta Maiestas meretur. 3. summam animorū nostrorum demissionē; qua nos totos eius arbitrio committimus, omniaq. nostra, laudibus eius consecramus. 4 gratiarū actionē pro innumeris quibus tanta maiestas tantillum vermiculum beneficiis cumulauit. 5. peccatorum nostrorū confessionem. 6. fidei eius propagationem, vt ad multos notitia Dei veniat. 7. denique quidquid diuinam gloriam, honorem, & cultum quoquo modo augere potest, illud vocula laudis Dei continetur. LAVS.

Solent Imperatoribus ad laudem & gloriam constitui imagines, nobilibusque or-

namentis decorari: Deus sibi formauit imaginem in animis nostris; quam si variis virtutibus ornemus, suoq. prototypo quam simillimam reddamus; non parum amplificabimus Dei gloriam: sicut contrà iniuriã Deo infert, qui hanc eius imaginem peccatis deformat atque conspurcat: non aliter quàm qui Imperatoris imagini cornua bouina, aut rostrum, similesvè sordes adpingit, grauiter peccat in Imperatorem.

Igitur laus Dei non solo ore, sed omnibus viribus nostris peragenda est; vt os, lingua, mens, sensus, vigor, confessionẽ personent; sitque laus plena, sit sonora, sit iucunda; sit decora mentis iubilatio. 1. plena sit; tum vt nullum tempus sit vacuum laude, sicut nullum est vacuum diuinis beneficiis. Tum vt nihil in nobis de laude sileat. sicut enim homini musices perito molestissima est, & ingrata vocum discrepantia, & error in cantu musico: ita Deo displicet laus illorum qui non omnibus suis partibus tanquam vocibus aut fidibus Deum prædicant. Sunt enim qui labiis honorant: cor autem eorum longè abest à Deo: &, qui confitentur se nosse Deũ, factis autem negant. Non est (ait Dominus) speciosa laus in ore peccatoris. Laudandus est Deus in psalterio decem chordarum: denarius chordarum

Isaiæ 29 *Ad Tit. 1* *Eccli. 15* *Psal. 32.*

rum numerus qui perfectionem designat, D. Aug.
vult omnia in nobis sonare laudem, sensus
externos & internos, animi vires, intelle-
ctum & voluntaté: denique corpus ipsum
reuerenter ad laudé Dei compositum. 2. sit
sonora magno affectu & deuotione, vt licet
vox foris non audiatur; animus tamen desi
derio & amore Dei flagrans clamet. Ita cla
mabat Moyses, & Anna Samuelis mater. Exod 14
Sancti quoque in cælis dicuntur vocé ede- 1. Reg 1.
re similé tonitruorum magnorum, & aqua Apoc. 6.
rum multarum. 3. sit iucunda, vt Deũ lau-
demus hilari animo; non coacti, sed læti,
alacres, & ad omnem Dei nutum prompti
paratiq. sicut enim in cantu moderata in-
flexio vocis, quam musici appellãt diminu-
tionem, adfert suauitatem & quasi dulce
condimentum: ita promptus & hilaris ani
mus magna dulcedine afficit laudes Dei.
Iubemur in Scripturis cantare Domino
canticum nouum; nempe, vt ex nouis be-
neficiis, veterumque noua & quotidiana
recordatione, noua semper, & læta, gra-
taque mente Deum laudemus, ad sancto-
rum imitationem, qui in Apocalypsi di-
cuntur nouum canticum cantare Deo.
4. sit decora, honesta, non insolens; ver-
bis, totoq. corporis habitu decentissimo. Apoc. 11
24. seniores prostrati in terram Deum lau

dant coronis capite depoſitis:quia Dei lau dem decorat humilitas; noſtriq. totius,& rerum ad nos pertinẽtium,diuitiarum,honorum,in Dei honorem oblatio.In omnibus muſicis inſtrumentis, præſertim quæ fidibus conſtant, eſt pars quædam vacua, quam tympanum vocant,vt ex aere incluſo maior excitetur harmonia. Optima igitur & valde decora erit laus noſtra, ſi cor omnibus terrenis amoribus, deſideriiſq. vacuum,nihil præter Deum cogitet,& poſ ſideat: quia ſuauitas laudis ex cordis pendet affectu & libertate.

Quamdiu vita & communi ſpiritu fruimur,laus noſtra eſt imperfecta, multiſque permiſta erroribus:quia necdum plenè modum diuinæ laudis edocti, more diſcipulorum ſæpe labimur.

At in cælo,quod à continua laude templum Dei appellatur, nunquam ceſſatur à laude. Omnes laudant admirabili,dulciſſimaq. harmonia, quæ nec multitudine vocum confunditur; nec magnitudine obtunditur;nec diuturnitate fatigat: nullus hic error,nulla diſſonantia, nullũ tædiũ vel cantantium vel auditorũ Cũ laude creſcunt vires deſideriumq laudandi. Præcentrix eſt Virgo Dei Mater Maria, quæ vt plura in ſe agnoſcit diuina beneficia, pleniuſq. quam

cæteri omnes diuinam gloriam capit:ita ac dentiùs,suauiùs,gratiùs cantat Dei laudē. Cùm igitur laus Dei sit munus cælestis Patriæ; non mirum si eius frequentia decentiaque nobis tātoperè commēdetur. Maiores nostri ditissima fundauerūnt templa,vt à monachis,canonicis, alijsq. Ecclesiasticis viris laus Deo maiori quietē & dignitate decantaretur. Cùm.n.populus Christianus externis occupationibus & curis distractus non posit se totum,vt par est,diuinis laudibus impendere,voluerūt monasteria,& collegia clericorum diuitiis abundare; vt qui sacris initiati sunt,sine cura externarum rerum, toti essent in diuinas laudes intenti, seq. hanc functionē in Ecclesiæ Dei republica accepisse scirent, vt pro vniuerso populo Deū precarentur, laudarent,gratiasq. agerent: nō minus quàm quiuis alii ad cōmunem eiusdē Reipublicæ vtilitatem, vel artes,& opificia, vel merces, vel operā suā conferunt. Quamobrem olim in monasteriis plerisque quæ religiosis abundabant, continuis precibus & hymnis, die noctuq. Deus laudabatur. Extāt Corbeię in VVestphalia tres chori in quibus trecenti monachi vicissim cōtinenter horarias preces decantare solent:quam orationem continuā Deus sibi acceptam esse,hoc miraculo testa-

Ps. 133.

D. Eo. 1. Tim. 1.

tum fecit, dũ sexaginta annis dominica iij. Quadragesimæ duos Angelos specie adolescentũ de cęlis ad hoc monasteriũ demisit, qui primi nocturni versiculos cum monachis ipsis concinerẽt, sicut monasterij annales referũt. Nec mirũ: quia sicut blasphemis cooperatur malignus spiritus, ita cum
Ps. 137. laudantibus Deum collaudant Angeli, iuxta illud: In conspectu Angelorũ psallã tibi.

Clerici igitur tanquam in sorte Dei electi, mente, desideriisq. piis continenter versentur in laude diuina, frequentibus eiaculatoriis orationibus Deum cogitent. Cæteri porrò Christiani, sic semper Deũ laudẽt, vt studia conatusq. suos ad Dei laudem referant; mentemq. suã non raro in mediis etiam occupationibus in Deum attollãt, vt semper laus Dei sit in ore nostro. Vespere denique, excussis actionibus diurnis, quidquid repererint ad Dei honorem se nõ retulisse: id pęnitentia doloreq. expurgent.

DEO. Deo laus debetur, & quidem soli, vt ait
1. Tim. 1 Apostolus: Soli Deo honor & gloria, tanquam soli bono & excellenti. Creaturas commendamus, & honoramus, sed ex præstantia quam illis largitus est Deus. sicut igitur laus picturæ redundat in pictorem: ita laus omnium creaturarum referẽda est in Deum. Ex quo efficitur primò, illos gra-

uiter in Deum peccare, qui ex donis Dei, scientia, nobilitate, auctoritate, diuitijs, alijsq. id genus, quæ admiratur vulgus, sibi non Deo, laudem quærunt. 2. illos qui Dei beneficia in se experiuntur, citra culpam posse honorem & laudem optare, quem non sibi adscribant, sed in Deum donorum auctorem trãsfundant: quia laudare virum probum, doctum, nobilem, est eum laudare, qui talem effinxit.

Homo ex se sine Deo nihil habet laude sed vituperatione dignũ. nostra enim sunt peccata & vitia: atque ex nobis deficimus. Quamobrẽ rectè dicitur: Nemo bonus, nisi solus Deus: quia ex se solus bonus est; & quidquid bonum est, illius bonitate bonũ est. quemadmodum rectè dicitur solus sol hunc orbem illuminare, quia illius solius lumine illustratur, & nobis lumen præbet, quidquid illuminat, vt luna, stellæ, vitrum, paries, &c. Ista enim ex se opaca sunt, & luce carent, alienoq. lumine splendẽt: solus sol proprio. In Deo nihil est non laudabile, cùm ergo in vna simplicissimaq. Dei natura innumeræ sint perfectiones; illæque singulæ nobilitatis præstantiæque immensæ: infinita sanè laus Deo debetur; qui est in omnibus & vbique laudandus. & quia creatura omnis bona est, quam Deus infi- Marc. 10

nita

nita bonitate & arte creauit; erit & creaturis suus dandus honos; cuique quo magis hinc Dei bonitatem refert: hoc enim est Deũ in operibus & creaturis suis laudare. Deus à nobis laudẽ cupit,& præter laudẽ nihil desiderat. Hũc orbẽ creauit, omniaq; nobis donauit, & plura in futura vita promisit, vt eum laudemus: & nos ingrati post tot beneficia, post tãta dona, post tãta promissa, nec laude quidẽ Deum tantùm dignamur? Laudẽ porrò nostrã non tam sibi expetit (quem laudant astra matutina, &
Iob.38. iubilant omnes filii Dei) quàm nobis. 1. vt laude & gratiarum actione plurium donorum eius cumulo digni censeamur; Deus enim summum & infinitum bonum, instar vberrimi fontis, & ardentissimi ignis, nihil æquè desiderat, quàm in nos bona infundere. 2. vt se agnoscere studeamus: nemo quippe commendat ignotũ. 3. vt agnitum amemus, desideremus, quæramus, alijsq; quærendũ commendemus. 4. vt nobilitate, præstantia, bonitateq; eius perspecta, quicquid in orbe est, illi posthabeamus; æstimemusq; cũ Apostolo Paulo omnia vt stercora & detrimenta, quò Christum lucrifaciamus.
Philip 3
Cupit igitur, ò homo Christiane, Deus laudem tuã, vt te vnũ habeat, tẽ fruatur, se suaque tibi communicet. Te vnum quærit

Deus,

Deus, & tu fugis Deum? Te, non tua, deside rat Deus, & tu alia exoptas, non Deum? Tu sufficis *Deo*, & non sufficit tibi *Deus*?

Eia ergo, sanctissima Virgo, cuius omnis vita fuit laus *Dei*; cuius anima semper magnificauit *Dominum*; cuius spiritus semper exultauit in *Deo* salutari suo, quæ præter *Deum* nihil vnquam quæsiuisti, amasti, voluisti; quæso, vt pro me *Deo* laudem tribuas, habeasque gratiam pro innumeris beneficiis in me collatis; laus enim speciosa non est in ore mei peccatoris. Vt tamen aliquid apud filiū laus ista mea valeat, tu laudare doceas, vnà mecum *Deum* collaudes, laudes meas tuis meritis ornatas *Deo* offeras, sit obsecro laus Dei sẽper in ore meo; Deum solum admirer, & concupiscā; eum omnibus prædicem denique loco symboli, in prosperis, & aduersis, in ijs quæ à me geruntur, aut quæ ab aliis præstantur, istud semper summa cum animi gratulatione vsurpem. Sit laus *Deo*.

Toti sanctissimæ Trinitati tribuẽda est laus, & singulis item personis æqualis habendus est honor: neque enim maior, dignior, præstantior est tota. Trinitas quàm singulæ personæ, neque minus aliquid est in vna persona quàm in omnibus tribus. PATRI.

Pater prima diuinitatis persona hoc nomine

mine dicitur, quia eiusdem naturæ Filium genuit ab æterno, gignitque in æternum. Cuius generationis modum laudare debemus, non inuestigare, sed vt ad eius contemplationem, clarumque intuitum post hanc vitam venire detur, meritis virtutum, & orationibus instare.

Laudandus porrò est cælestis Pater, nō modò quia Pater est Christi, sed quoniam misericordia sua nos homines in filios adoptauit: &, quantum fieri poterat, imaginē naturamq. suam nobis communicauit. Imaginem impressit animæ in creatione; similitudinem per peccatū deletam restituit in regeneratione & iustificatione. Nomen patris est suauissimū, quo nihil carius habet filius, vtpote in quo est omne bonum filii: patris nobilitas nobilitat filium: patris potentia tuetur filium: patris sapientia dirigit filiū: patris opes ditant filium: denique patris amor fouet, promouet, amplificat filiū. Patres nihil æquè diligunt ac filios, quibus augendis atque ornandis labores, conatus, & studia omnia sua impendunt, minas & verbera si castigandis adhibeant, non vt puniant, sed vt emendent, paternè corripiūt: facilè placantur, illudque conantur totis viribus, vt optimi filii amplissimam teneant hæreditatem.

Pater noſter cæleſtis eodem eſt in nos fi lios ſuos animo & ſtudio, qui tametſi innumeros habeat filios, quorum commodis ſtudet: ſic tamen dat operam ſingulis, vt vni vacare videatur. O beatos nos hoc Patre omnipotente, ſapientiſsimo, copioſiſsimo, nobiliſsimo, noſtrique amãtiſſimo Cur non ab eo ſolo pendemus? cur non in eo quieſcimus? Cur non ei in omnibus mo ré gerimus, eius acquieſcimus cõſiliis, eius hæreditatẽ expoſcimus? In nobis poſitũ eſt vt huius Patris efficiamur filii; *Dedit illis* (inquit) *poteſtatem filios Dei fieri.* & in filios iam non externa ſolum adoptione, ſed interna animarum renouatione adſcripti, habemus ius filii, nimirum optimũ Parentem conueniendi, orandi, neceſſaria, vtilia, commodaque poſtulandi, & tandem hę reditatem ipſam adeundi. Agnoſce Chriſtiane dignitatem tuam, & ne à boni filii officio degenera. Filius es Dei, ne igitur te ſordibus luti huius terreni, & falſi nominis diuitiarum ac voluptatum conſpurca, ne peccatis hac dignitate te priua, ne à modeſtia moribuſque Dei filio dignis recede. Filii eſt dignitati honorique patris ſtudere, quod Chriſtus germanus Dei Patris Filius copioſe præſtitit; qui nihil præter Patris laudem locutus eſt: Patris nomen *Ioan.* 1.

manifestauit hominibus. Patri vsque ad mortem crucis obtemperauit, nihil præter Patris gloriã quęsiuit. Filius ab amantissimo Patre correptus non indignatur; non queritatur, non abiicit animum, non conuiciatur, sed optimi patris piam mentem cogitat, castigationem medicinæ loco admittit, veniam precatur, dolore peccatorum mouetur, meliora pollicetur. Quicquid sane Dei voluntate nobis euenit, hoc eo pertinet, vt à peccatis alieni virtutibus augeamur, & amplissimam hæreditatem in cælis assequamur. Igitur bono filio non est metuendum in morte, per quam rectà tendit ad dulcissimum amplexum patris; ad paternas opes, ad patris Regnum; Gaudendum est potius, & magno desiderio appetenda mors, quæ exilio, laboribus, peccatis, omnibusque malis finem imponet. Redeuntem enim à labore filium pater quibus oculis aspiciet? quomodo excipiet? quibus amplexibus, & osculis sibi coniunget? Errata condonabit; ægritudinem fletumq. absterget, in gaudium suum introducet, & eandem beatitudinem qua beatus est ipse, hoc est, diuinę naturę contemplationem, præmium amplissimum dabit.

Eia igitur anima mea, quid adhuc terræ adhęrescens, ad cęlestem Parentem non

aſpiras? breue eſt huius vitæ tempus, citò hinc euocaberis, tuū eſt curare, vt ſine Purgatorij lēgis diuerticulis recta in cęlos euoles, ſumma excipieris Dei patris gratulatione, qui multo ardentius, firmiuſque in tuū, quàm in filii prodigi collum oſculaturus ruet. Quamobrem mens continenter in cælis verſetur, Dei patris vtilitati ſtude: ei multos filios adducito. Homines de magno fratrum aut filiorum numero ſubinde dolent, per quos ſit diſpergenda & minuenda hæreditas. Non ita Pater cæleſtis, qui ſingulis integram tradet cæleſtem hæreditatem, neque ciues cæleſtes ſibi à fratrum numero metuunt, quia & *Deo* Patri a multis filiis laus & gloria creſcit; & multitudo ſanctorum auget ſingulorum gaudia, non minus quàm multi carbones accenſi ſingulorum calorem. Laus *Dei* Patris eſt in multitudine piorum filiorum. Cur igitur patimur ad dæmonum partes innumeros tranſire; *Deo*que Patri minimam remanere filiorum portionem? Totus mundus per latiorem viam decurrit in gehennam, & ne milleſimus quiſque ad ſalutis ſemitam diuertit. Diabolus gloriatur, ſe, cum nullum vnquam parentis officium pręſtiterit, plures habere quàm Patrem cęleſtem filios, hæredesque ignis æterni. O Mater *Dei*,

MA-

MARIA Virgo, miserere humani generis; & vindica Dei iniuriam: sunt qui consiliis, doctrinis, & improbæ vitæ exemplis sectatores ad castra dæmonis pelliciant Deoq. filios carissimos eripiant: Tu corũ conatus reprime; reduc errantes; infirmos erige; verisq. filijs Dei vires auge; vt animarũ lucro ad Dei Patris gloriã amplificandam exardescant; eius fidẽ propagẽt; vt vbiq. omniũ ore nihil aliud celebretur, & decantetur quàm, Sit laus Deo Patri.

SVMMO. *Summo Christo decus.* Christo qui se infra omnes homines abiecit, rectè tribuitur titulus summi. Si enim qui descẽdit, ipse est qui & ascendit (vt inquit Apostolus) hoc est, si humilitate, suiq. contemptu ascenditur, Christus sanè, qui ad ima descendit, ad suprema ascendere debuit. Descenditur autem duobus modis; humiliatione, & humilitate, hoc est, cõtemptu, & virtute. Vtroq. modo Christus humillimè descendit. 1. summo contemptu affectus, dicebat: Ego sum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis: nimirum de Iudæorum synagoga eiectus; populi Dei cõmunione priuatus; demũ vt princeps latronum in crucem actus; quod suppliciũ qui sustinebant, tanta infamia notabantur, vt tanquam à Deo & hominibus maledicti, toti

Ephes. 4. *Psal. 21.*

mundo

mundo execrabiles, etiam aerem ipsum vi derentur inficere; & sanctitatem festorum obscurare. Hoc sibi penitus Iudæi persua- dentes, à Pilato rogauerunt, Christi Domi ni & latronum crura confringi; ne videli- cet remanerent in cruce corpora sabba- to: erat enim magnus ille dies sabbati. *Ioan. 19.*
2. Humilitatis virtute præ cæteris homini- bus fuit illustris, vtpote exemplar & magi- ster humilitatis: Discite, inquit, à me quia mitis sum, & humilis corde. In ipsa porrò humiliatione, & summo contemptu, sum- mus erat: quod humilitatis virtutem non parum commendat; dum summus sponte deprimitur. Non poterat altiùs ascendere homo, quàm vt esset super omnia Deus be nedictus. Christus fuit Deus etiam in sta- bulo & præsepio, inter sputa & flagella, in cruce & opprobrijs. Vnde iam meritò sum mi nomen accepit, non amplius deprimen dus: vt discas, 1. huic summo te nunquã an teponere; eius sancta mandata atque consi lia non contemnere, ei firmissimè prom- ptissimeque credere. 2. Ad summos cælos descendendo ascendi, & ascendendo de- scendi. Lucifer ascendens in infernum cor- ruit: nam qui se exaltat, humiliatur, & qui se humiliat, exaltatur. *Matt. 11* *Luc. 18.*

CHRISTO.

Christus significat vnctum: quo nomine

dicebantur Reges, & Sacerdotes, qui vnctione sacrati vnguenti, sicut olim in vete ri lege, ita etiam nunc in Ecclesia sancta initiantur: vt significetur 1. gratia Spiritus sancti, quam sui consecratione ad tantam functionem accipiunt. 2. suauis odor bonæ vitæ, quo subditos perfundere, atq. ad sui amorem, obedientiam, & imitationem pertrahere tenentur. 3. constantia muneris. sicut enim vnguentum pingue non elui tur, sed penetrat; ita Sacerdotis character est indelebilis, & Regis dignitas ad mortē vsque perseuerat. 4. misericordia, suauitas, pietas, & morum lenitas, quæ præ cæteris cōuenit Sacerdotibus & Regibus. Christus Dominus materiato nostro oleo non legi
Luc. 7. tur vnctus nisi à Maria Magdalena, nō qui
Ioan. 12 dem in Sacerdotem aut Regem, sed ad beneuolentiæ significationem. fuit igitur ab ęterno Patre inunctus oleo interno Spiri
Psal. 44 tus sancti, quod vocat scriptura oleum lætitiæ, idque præ consortibus suis, nimirum præ cæteris Regibus, & Sacerdotibus, tum, quod vberiora gratiarum dona secum detulerit, plenus gratia, & veritate; de cuius
Ioan. 1. plenitudine nos omnes accipimus: tum quòd ipse sit vt summus Pontifex, & sacerdos in ęternum, Rex quoque Regum, & Dominus Dominantium. Ita discas 1. quotquot

quotquot sunt in orbe terrarum Reges & Sacerdotes, huius summi Regis & Sacerdotis non nisi ministros esse atque vicarios. 2. In vtroque magistratu audiendum Christum, & qui potestati resistit, resistere Deo. Rom. 13
3. si geris Magistratum, aut munus obis superioris, sic tibi in hoc officio versandum esse, vt ministro, non Domino, non tuam voluntatem, sed Christi perficiendam, non tum, sed Christi honorem ardenter quærendum.

Decus, & veneratio habẽda est Christo, ne simus illi dedecori, sed honori. Rex decoratur nobilitate Principum, fortitudine militum, bellica victoria: Pontifex sapientia, sanctitate, grauitate sacerdotum, & populi erudita institutione. Christus Rex noster, nihil, quantum in ipso fuit, prætermisit vt nos nobilitaret, quos sanguine suo in filios Dei adscripsit, meritis suis ad bellum instruxit, atque vt facilis nobis esset victoria, ipsemet hostem prostrauit. Vt verò Pontifex, Christianos omnes consecrauit sacerdotes, qui spirituales Deo Patri offerrent orationum & edomitæ carnis hostias, eosque diuina sua euangelica lege plenissimè instruxit. Magnum igitur decus erit Christo, si hoc Rege nobilitatem nostram tueamur; si fortiter dimicemus; & DECVS 1. Pet. 2.

hōstem à Duce proſtratum ex ſtinguamus: ſi hoc Pontifice initiati, non profanos ſed ſacratos homines nos exhibeamus. Summo autem dedecori erimus Chriſto, ſi acceptam nobilitatem & ſanctimoniam abijciamus; tantoſque eius labores, dolores, & cruciatus nihili pendamus.

Tu ſanctiſſima mater, ſummo filio tuo Chriſto ſemper fuiſti & es honori ac decori, qui tali matre gaudet, & honoratur: quæſo te, vt moribus meis nulli vnquam ſim cauſa ſcandali, aut blaſphemiæ in Chriſti nomen; ſicut illi fuerunt de quibus que
Rom. 2. ritur DOMINUS: Nomen meum per vos blaſphematur inter gentes. ſed ſim *Deo* meo honori, vt de me ſeruo ſuo lætetur, & ſicut quondam de ſanctiſſimo viro Iob coram dæmone glorietur: dicatque æterno
Pſal. 15. Patri: Funes ceciderunt mihi in prẹclaris, etenim hẹreditas mea prẹclara eſt mihi. Filius tuus in me laudetur, veneratio ſumma ſummo Chriſto deferatur, atque ab omni creatura in ẹternum dicatur: Summo Chriſto decus.

Spiritui ſancto. Spiritus ſanctus tertia perſona Deitatis, æquali gloria, honore, laude colenda, proprio aliquo nomine à nobis non appellatur: ſed communi, quod cẹteris quoque perſonis tribuitur: Nam Pa-

ter est Spiritus & sanctus, similiter Filius;
vnde vterque dici potest Spiritus sanctus.
Habet ille quidem nomen suum sanctum
& ineffabile, nobis tamen ob eius infinitā
maiestatem, nostramque imbecillitatem
ignotum. At dicitur Spiritus, non solùm
quia corpore vacat; sed, 1. quia est Patris
& Filij Amor, qui velut spiritus; hoc est, Spiritus
ventus procedit. Amans quippe videtur fo-
ras in rem amatam egredi, & amore quasi
vento impelli: cùm scientia contrario mo-
do hominem non in res quas nouit, dedu-
cat; sed res ipsas potiùs suis imaginibus in
hominem inducat. Cęterùm modus iste
procedēdi Spiritus sancti à Patre & Filio,
cùm sit inexplicabilis, humanique ingenii
vires excedat; credatur à nobis, non inqui-
ratur, rogeturque Spiritus sanctus, vt eius
fauore & gratia, post depositum velamen
corporis huius, ad tantę rei contemplatio-
nem admittamur. 2. dicitur Spiritus, quia
in his quę nobiscum agit, venti videtur
proprietates imitari. vt enim ventus ex se
mollis, 1. ędificia obuia deijcit. 2. maria
commouet. 3. naues obsequentes celerri-
mè impellit, aduersantes repellit, aut mer-
git. 4. tenuitate sua penetrat corpora. 5. ae-
rem perflando purgat. 6. terrę inclusus ex-
citat terrę motum. 7. pluuias adducit, & se-

renitatem. 8. Arbores concutiendo firmat. 9. Ignem & flammam accendit. 10. in organis & plerisque musicis instrumentis sonũ efficit: aliaque id genus hominibus præstat: ita Spiritus sanctus, 1. alta deijcit, superbos humiliat, dæmonem fugat: eius virtute sanctissimi Apostoli demoliti sunt idolorum templa, superarunt Reges, elatos peccatores de se demisse sentire docuerunt. 2. prædicatione, sanctaque inspiratione commouet fluctuantia hominum corda, & salutari timore concutit. 3. obtemperantes sibi sine mora ad portum salutis æternæ perducit: eius enim sunt merita omnia: ipse (ex quo nimirum toti pendemus) omnia bona operatur in nobis. Reluctantes insuper docet quàm durum sit contra stimulum calcitrare. 4. penetrat intimas hominum cogitationes, discretor intentionum cordis, & voluntatum nostrarum, desideriorumq. æstimator. 5. animum peccatis purgat. 6. non patitur se concludi, sed ad bona opera erumpit. 7. lacrymas mouet recordatione peccatorum, cõtemplationeq. diuinæ bonitatis, nec non pacem conciliat animo. 8. confirmat inconstantes. 9. excitat flãmam in nobis diuini amoris. 10. orationibus nostris & actionibus addit atque auget suauitatem & merita. Denique sicut

nihil est nobis hoc aere nostro & vento vicinius (nam & circumfusum habemus aerem & corpori inclusum, & aeris respiratione viuimus) ita nihil nobis est coniunctius Spiritu sancto, cuius gratia sumus quidquid sumus, in quo viuimus, & mouemur, & sumus; qui in ipsam animæ nostræ essentiam penetrat, cordiumque nostrorum solus secreta rimatur.

Dicitur præterea sanctus, tum quia sanctitas ipsa, tum quia auctor omnis sanctitatis. Tria sunt in Angelis atque hominibus, quæ in actiones conueniunt; potentia, sapientia, amor. Potentia perficimus, sapientia dirigimus, amore suscipimus. Quę tria tametsi in nobis reipsa distincta sint, sic tamen inter se connectuntur, vt & eadem efficere dicantur, & nihil sine omnibus rectè perficiatur. Nam sicut potentia facere dicitur: ita sapientia & amor. vt item sapientia dirigit, sic potētia & amor. denique quēadmodum amor suscipit, ita potētia quoque & sapientia. Adhæc in DEO hæc tria sunt vnum, in quo vna est, simplicissimaque res diuina natura: quæ tamen vt constat tribus personis, ita singulis aliquid horum attribui solet: Patri potentia, Filio Dei Verbo sapientia, at Spiritui sancto vtriusque amori, quidquid ad bonitatem & charitatem SANCTO.

pertinet. Quamobrem rectè appellatur sanctus sine quo nihil est sanctum, nihil bonum, nihil iustum, cuius bonitate Deus Pater cuncta fecit valde bona, sicut Filii sui sapientia omnia creauit, & moderatur sapientissimè.

Et quidem cæteris creaturis suam communicat bonitatem; tum quia pulchras facit, & decentes; tum quia vtiles. Nihil enim est tam exiguum, quod suam non adferat orbi condecentiam, atque ornatum, & homini simul vtilitatem, hominis vero bonitas consistit in iustitia & sanctitate: quam vt in homine perficiat Spiritus sanctus, primum foris mouet, occasiones bene agendi obiicit, animum piis cogitationibus pulsat, & affectum suauitate demulcet, si admittatur, iam animum ipsum ingressus, ita per gratiam suam transmutat, vt homo nõ tantum dicatur, sed reuera sit filius Dei. Hac gratia iustificatur homo, donatur charitate diuina, cæterisque donis Spiritus sancti, ornatur sapientia, intellectu, sciẽtia, consilio, pietate, fortitudine, timore Domini. Hæc quippe sunt septem sancti Spiritus dona, quæ sicut a gratia iustificante proficiscuntur, ita non antecedunt iustificationem. Est quidem in homine impio theo-

logica.

logicarum rerum ſapientia, aliarum rerum ſcientia, prudens conſilium, fides quoque, & intelligentia. At dona iſta ſapientiæ, ſciẽtiç, &c. ſicut comitantur iuſtitiam & gratiam, ita in ſolis inueniuntur iuſtis. Hæc enim dona ſunt affectiones, & motus quidam quos in potentiis viri iuſti excitat gratia, & amor diuinus. Vt namque impurus amor inficit hominis vires, ſenſum, inquam, & intellectum, vt iudicetur pulchrum quod eſt deforme, honeſtum quod turpe, bonum quod malum, lepidum & vrbanum quod illepidum & ruſticum; ita diuinus amor Spiritus ſancti intellectum afficit, & illuſtrat; diuina ſapientia, vt cæleſtia ſapiat; ſcientia, vt de creaturis rectè iudicet; intelligentia, vt diuina facilè cõprehendat; conſilio, vt ſuas aliorumque actiones dirigat: cæteris etiam viribus tribuit fortitudinem ad mala conſtanter perferenda; pietatem, ad Deum tanquam Patrem amantiſſimum colendum; timorem, ad reuerendum eundem vt ſummæ maieſtatis Dominum. Nam ſicut vitrum rubrũ admotum oculis efficit vt omnia quæ cernuntur, appareant rubra: ita homo iuſtus his donis Spiritus ſancti inſtructus, cuncta quæ intelligit, vel agit, æſtimat & contemplatur ex Dei amore. ſit igitur Spiritui ſan-

cto laus, decus, gloria, & gratiarum actio, cuius gratia omne bonum operatur. Ca-
Ephes. 4 uendum autem ne contristemus Spiritum sanctum Dei, ne foris pulsantem cordis nostri ostium negligamus aut repellamus, ne admissum indecenter suscipiamus, ne semel piè susceptũ impiè excludamus: Hæc enim contristare dicuntur Spiritum sanctum, non quod verè afficiatur tristitia, qui est impatibilis, sed quod tantę impietatis sint peccata, vt Spiritus sanctus velut illis contristatus recedat: exhilarabitur verò idem, si donis illius vtamur, si charitate eius impulsi, actiones omnes nostras aggrediamur, si nihil impuro amore, inordinata affectione, praua dæmonis suggestione moti, sed diuini solius honoris, proximorumque salutis inductu integrè sincereque omnia suscipiamus, atque ad exitum perducamus, si denique quemadmodum Deum Patrem non nisi per vulnera passionemque Filii sui, tanquam per vitrum misericordia infectum, nos contemplari expetimus, ita nos eandem passionẽ tanquam amoris incitamentum ante oculos semper ponamus, vt solus amor actiones suscipiat, dirigat, atque perficiat. Hoc per te nobis donari petimus, Virgo MARIA, quę Spiritu sancto, & charitate re-

te re-

te repleta, ad eius nutum atque impulsum, dum hanc vitam ageres, mouebaris. Tuam nobis affer opem: Spiritus sancti igniculos in nobis exsuscita; flammam adauge, nosque totos charitate Dei & proximi exure: vt velut holocausta toti concipiamus ignem diuini amoris, singulisque ardeamus partibus, totique flammis charitatis flagrantes, nihil præter amorē Dei cogitemus, intelligamus, exoptemus.

Tribus honor vnus. Amen. Legendum est tribus, non trinus: quia vnus idemque honor, cultus, ac veneratio tribus personis diuinis meritissimo debetur. Sunt quidem personæ ipsæ non ratione aut cogitatione sola, sed re ipsa distinctæ: quia tamen vnica est natura diuina, quę in creaturis operatur, nobisque beneficia confert, & ideo vna est omnium perfectio, potentia, sapientia, bonitas, nihilque prorsus in vna earum laude, honore, & gloria dignum, quod non sit pariter in cæteris; fit 1. vt licet singulę personæ laudari, coli, adorari, rogari possint, ac debeant; ab hac tamen vnius laude & cultu cæteræ nō excludantur. Frequentius nominatur Deus Pater, rarius Spiritus sanctus: at quia vna est vtriusque diuinitas, in Patre semper intelligitur Spiritus sanctus, iuxta illud Symboli, Qui- TRIBVS.

li, Qui cum Patre & Filio simul adoratur & conglorificatur. ex eo sequitur, illum qui de vna persona diuina malè vel sentit, vel loquitur, in totam sanctissimam Trinitatem, omnesque personas esse blasphemũ. sicut namq. vnus est honor omnium, ita vna est omnium blasphemia & iniuria. Arrius ergo, qui in solum Filium, & Macedonius, qui in solum Spiritum sanctum peccare videbantur, in totam sanctissimam Trinitatem grauissime peccabant. Similiter qui hac tempestate in sacratissimam Eucharistiam iniurii sunt; etiã in Patrem, & Spiritũ sanctum iniuriosi sunt. vt enim personæ illę humanum corpus non assum pserint, qui tamen illam blasphemat quę corpus assumpsit, omnes prorsus blasphemia conuitiisque incessit, quę eiusdem sunt naturæ & dignitatis. quippe quarum laus vna sit, vna etiam sit contumelia.

HONOR. Omnis honor, & gloria Deo debetur: neque est dicendus honor, qui ad Deum ipsum non dirigitur, ac conquiescit. Siquidem ex Dei donis honoratur creatura: & nihil præter Dei dona honorem meretur. Honoratur viri docti sapientia, nobilis auctoritas, superioris dignitas, bonorum sanctitas, diuitis potentia, & bene agendi merendique facultas: quæ omnia

& à

& à Deo donata sunt, & ad Deum referenda. Cumque pro donorum diuersitate sint etiam diuersi honorum gradus quos creaturis deferimus, vnus est tamen honos, qui Deo debetur; in quo nimirum omnis continetur honor, gloria, perfectaque sui ad Dei voluntatem, & nutum deuotio; hominibus nunc caput aperimus, nunc poplitem incuruamus, nunc genua flectimus, nunc titulos honoris damus: Dei autem honor omnia continere debet. Et quamuis non semper liceat externam venerationem corpore exhibere: cor ipsum tamen, ex quo honor omnis emanat, se totum prosternere debet Deo: se aperire se donare, sibique prorsus nihil reseruare: vt Deus, qui se totum nobis donauit in pretium, seque totum donaturus est nobis in præmium, nos totos accipiat. Patri omnipotenti consecremus vires omnes internas externasque corporis & animæ; sanitatem, nobilitatem, diuitias, honorem, auctoritatem, & quæcunque nobis aliquid dignitatis aut præstantiæ addunt. Filio Dei verbo, æternæque Patris Sapientiæ offeramus scientiam, eloquentiam, ingenium, industriam, artes, prudentiam, consilia, & quidquid intellectu perficitur. Demum ad Spiritus sancti honorem, abun

demus

demus virtutibus; charitate diuina flagremus; omnesque conatus, & studia nostra ad Dei gloriam, proximorumque vtilitatem perficiamus. A Patre insuper postulemus rectè agendi vires, & donum perseuerãtiæ. A Filio sapientiam, & in actionibus prudentiam. A Spiritu sancto charitatem, vt omnia fortiter, sapienter, amãter agamus, & in nullo opere officioque nostro vel constantia desit, vel prudentia, vel charitas. Non hæc tamen roganda sunt à diuersis personis, quasi donandi potestas diuidi videatur: quicquid enim rogatur, aut dat Pater; hoc rogatur, & dat Filius, & Spiritus sanctus: sed quia Patri cælesti appropriatur potentia, Filio sapientia, Spiritui sancto dilectio; rectè quæ ad potentiam pertinent, Patri deferuntur; quæ ad sapientiam, Filio; quæ ad charitatem, Spiritui sancto. Igitur,

VNVS. Tribus sit honor vnus, non diuersus singulis; integer, non diuisus; vnicus, non varius. Quamuis enim variis diuersisque modis honorem hunc extrinsecus indicare & contestari liceat: vnicus tamen sit in corde, qui omnia honorum, submissionis, obedientiæque genera contineat; vt totum detur pro toto; omnis honor & gloria; & tribus honor vnus.


AMEN Atque vtinam ista nobis fiant: hoc desidera-

deramus, & omnibus votis optamus. Tu nobis auxilio sis Dei mater MARIA, orationem hanc, & hymnum Ecclesiæ suscipe benignè ex ore & corde meo, laudem & honorem offer Deo. Rogo te maris Stellam, deduc me quietè per æstuosum hoc mare sæculi huius, ne me absorbeant fluctus, ne patiar naufragium, ne cete me deuorent. Si agitari debeam vndis, nauseem quidem more nauigantium, & sordes euomam; vt mūdus hic mihi sit horrori, cum quo nihil commune habere velim; at ne inteream, precor te Dei almam Matrem, vt, qua vales auctoritate, me filio tuo reconciliare digneris, eiusque mihi amorem atque fauorem conseruare, & augere. Obsecro te semper Virginem singularem, vt pudicitia, cæterisque virtutibus, & meritis mihi subuenias; pœnas & afflictiones quas immeritò in mortali vita sustinuisti, in pœnarum, quas peccata mea merentur, satisfactionē Deo offeras. Oro te felicem cæli Portam, vt mihi sis pia mediatrix apud filium: per te suscipiat preces meas; per te effundat dona sua; per te me recipiat, qui per te me quæsiuit, inuenit, redemit. Admitte quæso preces meas, & quas tibi laudes hoc libello dixi, ne abiice. Maiestas quidem tua maior est quàm à me laudari debeat, &

laus

laus ex ore mei peccatoris speciosa esse nequit. Attamen quia tu benigna & misericors non ignoras figmentum meum, suscipisque à paupere etiam æra minuta: respice non doni exilitatem, neque cordis mei angustias, sed misericordem bonitatem tuam, à qua mihi donatum est, vt te amem, te laudem, te colam, te prædicem, tibi seruiam. Et huic libello imperti benedictionem tuam: vt, qui tibi conscriptus est, tuæ etiam gloriæ deseruiat: Augeat seruos tuos, instruat clientes tuos, accendat deuotos tuos. Ego minimus famulorum tuorum, tuis me deuoui, & consecraui laudibus: tu me viciſſim filio commenda: ego iniurias tuas vindicare studebo: tu peccata mea contra diaboli accusationes extenua, & excusa: ego omnem honorem, & laudem tuam confirmabo, dicamque Amen: Tu orationes meas apud Filium confirma, vt annuens petitionibus larga benedictione respondeat. Amen.

Laus Deo Virginiq; Matri.



ROMAE.
Excudebat Franciscus Coattinus.
M. D. LXXXX.